

lib. 4. ca. 29.

fert, à Tatiano heretico editum, omnino ait ab Ecclesia fuisse expofum.

ILLVD verò quod ad fidem Historiæ labefactandam ijdem hæretici afferunt, nempe Græcos, Historiam iftam in commentarijs fuis non habere, nescio vnde id nouerint, cum nulla præfenti fæculo extent Græcorum integra in Ioannem commentaria, præter vnus Chryfoftomi ac Theophylacti, & Euthymij abbreviatorum eius, in quibus, licet Historia illa explicata non fit, non tamen ab eis repudiata eft, & poffibile eft, Chryfoftomum eam Historiam expofuiffe, & eam deinde expofitionem à quopiam Hæretico, cui Historia illa, vel Historiæ explanatio nõ placuerit, è Codice Chryfoftomi fuiſſe detractam. De Hieronymi verbis nihil aliud libet respondere, niſi quod aliàs diximus, ridiculas eſſe conſecutiones iſtas à particulari affirmatiua ad negatiuã particularem, Historia videlicet hæc in multis voluminibus eſt: ergo in multis voluminibus non extat. Sunt hæc certè vilia, & elementaria indigna quibus respondeatur: at excuſandi ſumus, quod nos Hæreticorum improbitas in hanc tenuitatem descendere cogat.

Ioan. 5.

SED quis non rideat illorum amentiam, dum Historiam languidi ad piscinam idcirco credere nolunt, quia eam, nec in veteri Testamento, nec in Iosepho, legerint? Quasi verò miracula Christi ideo nobis credenda non ſint, quia Iosephus ea non ſcripfit. Sed nihil, aiunt, de hac piscina in veteri Testamento ſcriptum eſt. concedimus nihil apertè de ipſa in veteri Testamento affirmatum, ſed nec apertè negatum. imo ſi diligenter confideremus ea, quæ ſcribuntur ſecundo libro Paralipomenon, capite quarto, neceſſaria conſecutione colligemus piscinam quandam, ſeu aquarum conceptaculum fuiſſe Ieroſolymis in regione, quæ à Ioanne *Probatica* nominatur. ſic enim Græcè, inquit, ἐστὶ δὲ ἐν Ἱεροσολύμοις ἐπὶ τῆς προβατικῆς κολυμβήθρα. quæ forte piscina ad infimas radices montis, qui Templum ſuſtinebat, extructa fuerat, vt in eam influeret omnis illa aquarum vis, quæ quotidie effundebatur, tam ex mari æneo, in quo lauabantur Sacerdotes, quàm ex decem conchis, in quibus holocausta lauabantur: nam, vt de conchis taceam, mare ſolum, vt eodem capite legitur, tria millia metretas capiebat. oportebat igitur grandia quædam fuiſſe aquarum conceptacula, in quibus tot vaſa exonerarentur, cui rationi etiam Ariſteæ vetuſtiſſimi ſcriptoris teſtimonium conſentire videtur: is enim de huiusmodi aquarum conceptaculis Ieroſolymitano templo deſeruentibus, in libro De ſeptuaginta interpretibus ad Philocratem loquitur in hunc modum.

AQUARVM verò receptacula, quæ plurima ad diluendum iugularum hoſtiarum ſanguinem funditur, cõmodis locis occuluntur. nam feſtis diebus multa victimarum millia caduntur. etenim tantus eſt eductarum aquarum aſſiduus fluxus, vt perennem fontem inundare putes. Sed mirabilis eſt, & ferè inenarrabile, ſubterraneorum conceptaculorum magnitudo, quæ ad quinque vſque ſtadia per circuitum Templi cuncta penetrat, plũbea ad ea fiſtula quacũque per muros,

ac Templi ſolum, quibus omnia abluantur, mundenturque, deſcendunt. Sunt & apud Arabiam frequentes aperture, omnibus, niſi his, qui miniſtrant incognite, quarum influxu, ac impetu omnis ex hoſtiarum multitudine cruor purgetur. receptarum autem aquarum multitudinem per hunc modum coniectauimus. nam cum nos ſtadia quatuor ultra urbẽ duxiſſent ad quendam locum. iubet nos ſubterfluentium vndarum ſonitum audire, qui mihi quidem magnorum vaſorum confluxus viſus eſt. Hæc Ariſteas. ex cuius verbis conijcio facile accidere potuiſſe, vt aquæ illæ per occultas fiſtulas in hanc piscinam influerent, atque iterum ex ea per alios meatus extra urbem effunderentur. Verùm quod nulla de hac piscina in veteri Testamento facta ſit mentione, mirandum non eſt: quia is locus tum temporis non erat adeò celebris, vt particulari narratione dignus videretur. Sed poſtquam vltimis Hebræorum temporibus, miraculi nobilitate illuſtratus eſt, veriſimile eſt, locum ipſum tum primum quinque porticibus exornatum ad commoditatem languentium, qui ſub his decumbebant, expectantes aquæ motum. Quare non debet Euangelicæ historiæ fidei quicquam derogare, ſi quid de loci ſitu, ac virtute prædicti Autores inter ſe nõ nihil diſſentiãt. præſertim cum autor Historiæ Scholaſticæ, quod de ligno crucis ex aliorũ opinione referat, ipſe non aſſerat, ſed tantum id ſcribat, vt rem fama, ſed non certa veritate cõpertam. Nobis ſatis eſt, hæc languidi hiftoriam ſemper in omnibus tam Græcis quàm Latinis codicibus extitiſſe, & à Patribus Græcis, & Latinis expoſitam fuiſſe, ac totius Eccleſiæ autoritate tot annorum ſæculis fuiſſe cõprobatam. Quare nulla cauſa eſt, cur eam propter inanes quafdam ſomniantium Anabaptiſtarum coniecturas, deinceps in dubium reuocemus. Et de Ioanne quidem hæc tenus.

Cur in veteri Testamento nõ ſit ſermo de piscina probatica.

DE ACTIS APOSTOLORVM HÆRESIS VI.

Acta Apostolorum non recipere.

HANC hæreſim Eusebius libro quarto hiftoriæ Eccleſiaſticæ, ex ſententia Irenæi tribuit Tatiano, ac Seuero, à quo Seueriani hæretici dicti ſunt. Philaſter itẽ in catalogo, Cærintho aſcribit. Auguſtinus in libro de vtilitate credendi ad Honoratum, eandem Hæreſim assignat manichæis, qui librum hunc idcirco noluerunt accipere, quia eius Autor ſcriberet ſpiritum Paraclætum à Christo promiſſum in die Pentecoſtes adueniſſe longè ante tempora Manichæi, quem ipſi credebant fuiſſe Paraclætum illum ſpiritũ à Christo promiſſum. Sed cum liber iſte (inquit Auguſtinus) tanta in ſe habeat ſimilia his, quæ Manichæi de diuinis Scripturis accipiunt & credunt, magna ſtultitiæ videtur eſſe, quod etiam non hunc credant, & accipiant. Hieronymus in Catalogo Virorum illuſtrium ſcribit librum hunc olim à preſbytero quodam Aſiatico fuiſſe corruptum, ſic inquit: Igitur periodos Pauli, & Teclæ, & totam baptizati leonis fabulam libro apoſtolicorum actuum, adiectam inter apocryphas Scripturas computamus. Sed & Tertullianus vicinis apoſtolorum temporibus, refert, preſbyterum quen

Cap. 29.

Cap. 36.

Cap. 2.

quendam in Asia *αουδαϊστικῶς* Apostoli Pauli A conuictum apud Ioannem, quod Auctor esset libri, & confessum se hoc Pauli amore fecisse. In huius igitur erroris confutatione nihil mihi laboris infumendum est, quia cum nullas rationes apud quenquam scriptorum inuenirim, ob quas Hæretici hunc librum abiecerint, non opus est, ut quicquam illis respondeamus, nisi hanc ipsorum Hæresim damnari longæuo Ecclesiæ vsu, Patrum omnium approbatione, & Auctoritate Conciliorum omnium, præcipuè Laodicensis, Carthaginensis tertij, & postremi omnium Tridentini, in quorum Catalogis hic liber inter cæteras diuinas Scripturas recensetur.

DE EPISTOLIS PAULI
Apostoli in vniuersali.

HÆRESIS VII.

Epistolas Pauli Apostoli repudiare.

ASSERTORES HVIVS
HÆRESEOS.

SUB nefaria Hæresi multi sunt hæreticorum errores. Quidam omnes Pauli Epistolas reijciunt, quorum dux & antesignanus, ut a Irenæus, & b Eusebius scribunt, fuit inops mētis *Ebion* (sic enim nomen eius Hebræis sonat) qui cum totam Legem veterem vnâ cum noua, Christianis obseruandam esse doceret, & in hoc sibi Paulum fortissimè reclamantem sentiret, Epistolas eius in vniuersum abiecit, ipsumque Apostolum (ut Epiphanius refert) modò *Tarsensem*, modò *Græcum*, modò *Apostatam Legis*, per contumeliam appellauit, accusans eum, quod cum Græcus esset, & ex patre Græco, Ierosolymam ascenderit, & cum per tempus illic permanisset, concupierit filiam sacerdotis in uxorem accipere, & huius gratia profelytus factus fuerit, simul & circumcisus. Deinde, cum puellam assecutus non esset, ira concitatus, contra Circumcisionem, & contra Legem scripserit. Huic Ebioni successerunt in errore Helcheseitæ hæretici, tempore Philippi Augusti, primi Christianorum Imperatoris; qui, teste Eusebio, omnes Epistolas Pauli ex integro repudiarunt. Alij fuerunt Hæretici, qui non omnes Pauli Epistolas respuere sunt ausi, sed eas tantum, quas maximè dogmatibus suis infestas cognouerant, veluti Encratitæ, Seueriani, Marcionitæ, Manichæi, Arriani, Aeriani, Anabaptistæ, ac plerique alij hæretici. ex quibus Encratitæ, quorum princeps fuit Tatianus quondam Iustini martyris auditor, epistolas ad Titum, & Timotheum reiecit, Arius epistolam ad Hebræos, Marcion verò Ponticus, patria Synopeus, quatuor ex quatuordecim Epistolis Pauli, quas habet Ecclesia, in totum abiecit, videlicet, duas ad Timotheum, vnâ ad Titum, & alteram ad Hebræos. Ex his verò, qui aliquas Pauli Epistolas, quas accipiunt, integras, & incorruptas accipiunt;

alij verò etiam eas, quas suscipiunt, in multis falsatas, ac vitiatas esse contendunt; sicuti Marcion, qui decem illas Pauli Epistolas, quas accipiebat, in pluribus locis habuit adulteratas, mutilatas, truncatas, & plerisque ascitijs additamentis intermixtas. compegit autem ex eis volumen quoddam, quod librum Apostolicum appellauit, in cuius calce, etiam Epistolam quandam ad Laodicenses addidit, Pauli nomine inscriptam. Qui vero Epistolas quasdam incorruptas, & incontaminatas seruant (quanquam eas Pauli Apostoli esse credant, & ad nos vsque integras peruenisse fateantur) non tamen omnia, quæ in eis scripta sunt, accipiunt, sed quædam omnino reproband, veluti Anonymus quidam Fabritij discipulus, contra quem Augustinus sub nomine aduersarij legis & prophetarum, duos libros edidit. Hic ut idem refert Augustinus, dixit Paulum pro qualitatibus ingeniorum sub quinque diuersis personis locutum, quarum prima esset Iudæorum: secunda eorum, qui sub Lege sunt, tertia eorum, qui sub Lege non sunt, quarta, infirmorum, quinta vero perfectorum, atque eum in quatuor primis personis multa dixisse, quæ à perfectis suscipi non deberent. Aëriani quoque, ut annotat Epiphanius, distinguentes Pauli dicta, asseriebant eum, quædam Spiritu sancto plenum dixisse ac scripsisse: & hæc sine vlla contradictione esse recipienda, nonnulla vero eundem Paulum, ut nudum hominem Spiritu sancto destitutum dixisse, & hæc abijcienda esse existimabant. Verum cum prædicti Hæretici non reddant causas cur omnes Paulinas Epistolas abijciant, vel cur aliquas accipiant, aliquas verò spernant, vel cur in his magis hæc, quam alia dicta falsata sint, vel cur hæc magis secundum hominem quam secundum Spiritum à Paulo dicta sint, nihil occurrit, quod aduersus eos dicamus, nisi quod Hieronymus in præfatione commentariorum ad Titum contra hos temerarios scribit: *Si redderent, inquit, causas cur has Epistolas Apostoli esse, & Apostolo dignas non putarent, tentaremus eis aliquid respondere, & forsitan satisfacere lectori, nunc verò, cum heretica auctoritate pronunciant, & dicant, illa epistola Pauli est, hæc non est, ea auctoritate se pro veritate intelligant refelli, quæ ipsi non erubescunt falsa simulare.* Idem & nos dicere possumus contra omnes prædictos Hæreticos, præsertim cum alibi in hoc opere, ostenderimus, nihil esse in diuinis Scripturis, quod sancti Dei homines è Spiritu sancti afflatu non scripserint, nihilque in eis esse, quod falsitatis suspitione notari queat.

OBJECTIONES HÆRETICORVM.

I. **CONTENDIT** Faustus, Epistolas Pauli esse falsatas in omnibus ijs locis, in quibus legitur, *Christum factum ex semine David secundum carnem*: sicut in principio Epistolas ad Rom. scribitur. non enim credibile est, inquit, Apostolum Dei cōtraria sibi scribere potuisse, & modò hanc, modò illam, de Christo habuisse sententiam, ut scribens ad Romanos Rom. 1. dice

a lib. 1. adu. hæret. 2. b lib. 3. eccl. cap. 27. *Ebion cur reiecerit epistolas D. Pauli.* li. 1. hæret. 50.

Philip primus Christianus Imp. lib. 6. ca. 27.

Qui heretici aliquas D. Pauli epist. repudiarunt.

Tatianus Iustini mar. auditor. Euf. li. 4. hi. cap. 29. Hier. in præf. ad Titum. Epiph. lib. 1. hæret. 42.

li. 2. con. adu. legis cap. 1.

li. 3. hæret. 76.

In scripturis sacris nulla est suspicio falsitatis.

Aug. lib. con. Fau. 11. ca. 1.

Rom. 1. dice

diceret. *Christum esse filium David secundum carnem*, & postea ad Corinthios scribens sententiam illam tanquam falsam corrigeret, vel potius reijceret, inquit: *Nos neminem nouimus secundum carnem, & si cognouimus secundum carnem Christum, sed nunc iam non nouimus.* Quare cum tantum intersit inter hæc duo capitula, vt aliud Christum secundum carnem nosse, aliud non nosse affirmet, restat, vel Paulum in 1. cap. errasse, & deinde 2. cap. magis proficundo mutasse sententiam, vel Pauli Epistolam eorum falsitate corruptam, qui primum illum locum, & his similes Pauli Epistolis inseruere. Verum cum fas non sit Apostolū Dei, quod aliquando ædificauit destruere, melius est dicere Epist. Pauli alterius prauitate vitiatam quam ipsius errore vitiosam.

2. **A**T innominatus ille Fabritij discipulus, ad hanc Faulti calumniam multò grauiorem blasphemiam adiecit, inquit, multa esse in his Epistolis reijcienda, in quibus Paulus infirmitati se auditorum accommodans, aliter sententiam protulit quam reuera sentiret. Cōstat enim Apostolum pro qualitatibus ingeniorum in quinque personis locutum: insinuās enim rudi adhuc populo, quæ Dei sunt, non debuit à perfectioribus incipere, & consuetudinem ab eis vetustatis excludens, à difficilioribus inchoare, ne nouos adhuc ad fidē, perfecta doctrina turbaret. quod ex ipsius Apostoli verbis probatur, cum dicit: *Cum liber essem ex omnibus, omnibus me seruum subieci, ut plures lucrifacerem: & factus sum Iudæis tanquam Iudæus, ut Iudæos lucrifacerem, & his qui sub lege sunt, tanquam sub lege essem, ut eos qui sub lege sunt lucrifaciam, & his qui sine lege erant, tanquam sine lege essem, cum sine Dei lege non sim, ut lucrifacerem eos qui sine lege sunt, factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem: omnibus, omnia factus sum, ut omnes lucrifaciam.* Ad quas quatuor personas, vnā scilicet Iudæorum, alteram eorum, qui sub lege sunt, tertiam eorum, qui sub lege non sunt, quartam infirmorum, quintam quoque addidit perfectorum personam, dicens: **S**A**P**I**E****N**TIA**M** loquimur inter perfectos, his verbis indicans, multa in gratiam eorum quorum personas sumpserat locutum, de quibus longe secus in corde sentiret: & se aliud sæpe finxisse, quod non erat.

HIERIANI deinde, & alij quidam innominati Hæretici, quos Hieronymus in præfatione commentariorum ad Titum recenset, multa in Epistolis Pauli tanquam humanitatis, & non diuinitatis à Paulo dicta contemnunt: & inter cætera etiam totam epistolam Pauli ad Philemonem abijciunt, quia & si Pauli sit, nihil tamen habeat, quod ædificare possit: quia tantum commendationis officio, & non docendi gratia scripta sit: dicentes non omnia semper Apostolum Christo in se loquente dixisse: quia humana eius imbecillitas eundem semper spiritus tenorem ferre non potuisset, sed aliquando fuisse tempus, in quo Paulus tanquam communis homo loqueretur, & ageret, & de corpusculi sui necessitatibus aliquid vel loqueretur, vel ageret, veluti cum prandium disponderet, cum cibum ca-

peret, esuriret, saturaretur, ingestis digerere, & exhausta compleret, & corpori suo necessaria, aut ab alijs peteret, aut alijs imperaret. tunc enim Paulus, sicut cæteri homines existens, dicere non aufisset: **A**N *experimentum* queritis eius qui in me loquitur Christus? & **V**Iuo ego, iam non ego: uiuit autem in me Christus. Neque hoc mirū esse addebant, si Paulus aliquādo sicut homo communis, sine spiritu Dei uiueret, ac loqueretur, cum hoc in Prophetis quoque accidisse legatur: sicut de Ezechiele, & alijs Prophetis scriptura dicit: **F**A**C**Tum est *verbum* domini ad Ezechielem, qui post expletum vaticinium rursus in semetipsum reuersus, communis homo fieret ex Propheta, & excepto domino nostro Iesu Christo, in nullo Spiritum sanctum remansisse. quod signum etiam Ioannes Baptista acceperat, vt super quem vidisset descendere Spiritum sanctum, & manere in eo, ipsum esse cognosceret. ex quo ostenditur super multos quidem descendere Spiritum sanctum, sed propriū hoc esse Saluatoris insigne, quod permaneat in eo. Igitur in Epistolis Pauli multa sunt ab eo scripta, cum destitutus Spiritu sancto, vt purus homo loquebatur, sicut indicant ea, quæ passim in eis inueniuntur, videlicet, ad Galatas, **V**T *in a* **T**INAM excendantur qui vos conturbant. & ad Timoth. **P**Enulam quam reliqui Troade apud Cyprum, veniens tecum affer, similiter libros, & membranas: & ad Philemonem: **P**RÆPara mihi hospitium &c. eiusmodi humana imbecillitatis exempla: in quibus cum nullum experimentum Christi in Paulo loquentis agnoscat, licebit ea pro arbitrio vel recipere, vel abijcere.

DILVTIO OBIECTORVM.

1. **A**Lio **Q**Uid, inquit, Faustus in Paulo falsatum est: quia non potest vtrūque verum esse, & quod in epistola ad Romanos, & quod in epistola ad Corinthios scribit. Nos vero demonstramus, quod possit vtrūque verum esse, & quod sibi hæc duo non sunt contraria. vnum quippe eorum non esse Pauli, nullo modo possumus dicere, quia nulla in eo variat codicum autoritas. Est enim in quibusdam Latinis exemplaribus non legitur, **F**A**C**Tus, sed *natus ex semine David*, cum Græca **F**A**C**Tus habeant, vnde non ad verbum, sed ad sententiam transferre voluit, dicendo *natum*, Latinus interpret, tamen Christum ex semine David esse secundum carnem, omnium librorum, atque linguarum concordat autoritas. In hoc autem Paulum aliquando errasse, & proficundo mutasse sententiam, absit vt dicamus. Neutrum igitur ab altero dissonat, sed in eadem fane fidei regula vtrūque concordat. nam quod filius Dei ex semine David factus est, nec idem Apostolus vno loco dicit, & alia sanctæ Scripturæ apertissimè prædicat. Quod verò dicit: *& si noueramus Christum secundum carnem, sed iam nunc non nouimus*: ea ipsa circumstantia Scripturæ loci eius, satis ostendit, quid loquatur Apostolus, suo quippe more vitam nostram futuram, quæ iam

2. Cor.

Gal. 2. d.

Ezech. 1. a

Ioan. 1. d

Gal. 5. b

2. Tim. 4. c

Philem. 1.

An. con. Fau. lib. 11. cap. 4. Roma. 1.

2. Cor. 5.

Aug. ibi. c. 7.

2. Cor. 5.

Aug. con. ad leg. & pro li. 2. cap. 2.

1. Cor. 9.

1. Cor. 2.

Hier. in præf. com. ad Titum.

in ipso homine mediatore Christo capite nostro resurgente completa est, ita spe certa meditatur, tanquam iam adfit, praesensque teneatur, quae utique vita non erit secundum carnem, sicut Christi vita non est secundum carnem, carnem nanque hoc loco, non ipsam corporis nostri substantiam, quam dominus etiam post resurrectionem suam carnem appellat, dicens; **PALPATE & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere:** sed corruptionem, mortalitatemque carnis vult intelligi, quae tunc non erit in nobis, sicut iam in Christo non est. **NOVERAMVS** ergo, **Christum secundum carnem**, id est secundum carnis mortalitatem, antequam resurgeret, sed nunc iam non novimus secundum carnalem corruptionis qualitatem, quia sicut idem dicit Apostolus, **CHRISTVS** resurgens a mortuis iam non moritur, & mors ei ultra non dominabitur. **NOVERAMVS** eum secundum carnem, cum adhuc moriturus esset, inerat quippe in eius corpore mortalitas, quam proprie carnem appellat Apostolus. Sed iam nunc novimus, illud enim eius mortale iam induit immortalitatem. unde secundum pristinam mortalitatem iam caro appellari non possit. Sed si se ad verborum proprietatem Faustus teneat, metitus est Paulus, quod ait: **NOVERAMVS** Christum secundum carnem, si Christus, ut Faustus inquit, nunquam fuit secundum carnem. Nemo enim noverat, quod non erat. Non autem dixit, putabamus Christum secundum carnem, sed, **NOVERAMVS**. Veruntamen ut verbo non premam, ne quis affirmet per abusionem locutum Apostolum, ut pro eo, quod est **putabamus** diceret, **NOVERAMVS**; illud miror non attendere homines caecos, vel potius non miror non videre caecos, quia si Christus ideo non habuit carnem, quia dixit Apostolus, nunc iam se non nosse Christum secundum carnem: nec illi habuerunt carnem, de quibus eodem loco dicit. **ITA QVEM** nos amodo neminem novimus secundum carnem. Amodo, inquit, neminem novimus secundum carnem, id est, tam certam spem tenemus futurae nostrae incorruptionis, & immortalitatis, ut amodo iam in ipsa contemplatione immortalitatis omnem penè mortalitatis corruptionem obliti, gaudeamus. Amodo neminem novimus secundum carnem, nondum in re, sed in spe intelligitur, quia spes nobis in Christo est, quia in illo iam completum est, quod nobis promissum speramus.

Carnis nomine aliquando non intelligitur substantia carnis, sed corruptio, & mortalitas
Luc. 24.

Cognoscere Christum secundum carnem quid sit.

Rom. 6, b.

August lib 3. 2. con adu. legis & pro. cap 2.

A lege erant, Iudaeis dolose factus erat sub Lege: ut quid dicebat, **eos non esse heredes ex Lege?** & **Lex iram operatur?** & **Lex ministratio mortis?** & **Lex propter transgressores posita est?** quae aequo animo ferre non possent, qui in Lege gloriabantur. Nunquam igitur Paulus fallendi studio diversas induit personas: sed eandem doctoris personam tam apud gentes, quam apud Iudaeos retinens: eundem Deum, eandem Legem, & Prophetas, & Evangelium Israelitis, gentibus, infirmis, & perfectis praedicanit. sed dixerit aliquis Frustra ergo dixit Apostolus, **FACTVS sum omnibus omnia.** & **NON potui Vobis loqui spiritualia, sed quasi carnalibus lac vobis dedi non escam.** sed absit ut putemus, Apostolum ista fecisse, ut alios ex alijs fingendo falleret. Factus est omnibus omnia, non fallentis astu, sed cõpatientis affectu, diversis animarum morbis, diversis misericordiae affectibus subueniens, dans scilicet paruulis parua, non falsa, lactea non noxia, nutritoria non peremptoria, prima scilicet fidei rudimenta. perfectis verò grandiora mysteria. vnicuique salubria pro sua capacitate accommodans.

3. CAETERVM valde errant Acriani, & alij Hæretici eorum asseclæ, si putant Paulum, Spiritum sanctum non habuisse, cum de humanae imbecillitatis necessitatibus loqueretur, aut Spiritu sancto destitutum, cum corporis necessaria completeret: putantes cibum emere, hospitium praeparare, vestimenta conquire, esse peccatum, & à nobis refugari Spiritum sanctum, si corpusculi necessitatibus parumper seruiamus. Spiritus sanctus enim contristatur, & fugatur à nobis non huius vitæ ministerijs, sed ex operibus immundis, & vitijs multis, quæ cum per ordinem Propheta digessit, ad extremum intulit: **IN omnibus istis contristabas me.** At calicem aquae frigidae porrigere, pedes lavare, vitulum immolare, prandium praeparare, tantum abest ut peccata sint, ut his rebus, quosdam in Dei filios adoptari legamus, proinde, Paulum ob huiusmodi aliquando Spiritu sancto destitutum fuisse. minimè credendum est, sed firmissimè tenendum, Spiritum sanctum ab ea die qua Apostolus Christi è Saulo factus est Paulus, & ex vase contumeliae, vas electionis, & gratiae, ut portaret nomen Christi in nationibus, nunquam in eo per aliquod tempus Spiritum Christi defecisse, à quo vniuersa, quæ scripsit, mirabiliter dictata sunt.

Aug ibid. ca. 2.

Apostolus factus omnibus omnia.

Hier in praefat. com. ad Titum.

Spiritus sanctus non fugatur huius vitae ministerijs.

Quae scripsit Apostolus omnia sunt à spiritu sancto dictata.

DE EPISTOLA PAULI AD HEBRAEOS HÆRESIS VIII.

Epistolam ad Hebraeos neque esse Pauli, neque esse inter Canonicas Scripturas numerandam.

ASSERTORES HVIVS HÆRESEOS.

PHILASTRIVS in catalogo Hæreseon, recenset hunc errorem inter anonymas Hæreses, inquit, **SUNT aliqui, qui epistolam Pauli ad Hebraeos, asserunt non esse ipsius, sed dicunt aut Barna**

Cap. 89.

Barnaba esse Apostoli, aut Clementis de urbe Roma Episcopi. Epiphanius autem in primo aduersus hæreses scribit, huius erroris autorem fuisse Marcionem, qui præsentem Epistolam vnà cum Epistolis ad Titum, & Timotheum, vt Apostolo indignas reiecit. cui Tatianus teste Eusebio, in eodem errore successit. Deinde post istos (vt Epiphanius, Theodoretus & Hieronymus narrant) Arius, Aëriani, & Arriomanitæ, videntes hanc Epistolam maximè eorum dogmati repugnare, negauerunt illam esse Pauli: atque ob id eam de Canonicis Scripturis tãquam adulterinam, & suspectam abiecerunt. Quorum perfidiam phanatici Anabaptistæ, atque athei Seruetani imitantes, eadem ex causa eam repudiarunt. Lutherus vero, vt Calvinus, atque alij ex eorum officina, licet eam de canone non excludant, Pauli tamen apostoli esse negant, dicentes illam nec Pauli spiritu, nec Apostoli maiestate dignam esse. vnde, quoties eos ex hac Epistola testimonium aliquod citare contigit, prætermisso semper Pauli nomine, pro eo Authorem epistolæ ad Hebræos adducunt.

IMPUGNATIO.

QVONIAM hæc hæresis duo asserit, nimirum, & hanc Epistolam non esse Pauli, & eam non esse Canonicam: idèò vtrunq; nobis particulariter confutandum est. Igitur exordientes ab Epistolæ Authore, ostendimus primùm hanc sanctissimam Epistolam esse Pauli Apostoli, ex testimonio B. Petri, qui scribens & ipse ad Hebræos per Galatiam, Capadociam, ac Bithyniam dispersos, nomen Authoris huius epistolæ simul & intentionem aperit, dum Hebræos ad patientiam, & longanimitatem hortatur, facta mentione eorum, quæ in hac sacratissima epistola continentur, sic inquit: **PROPTER** quod charissimi hac expectantes, satagite immaculati, & inuolati inueniri in pace, & Domini nostri Iesu Christi longanimitatem, salutem arbitramini, sicut & charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis. quod certè Paulus fecerat in tota hac Epistola, totus semper in hoc vnum incumbens, vt eos ad tolerantiam præsentium ærumnarum, & ad spem firmam, ac certam futurorum præmiorum inducat. nam vt Theophylactus huius Epistolæ argumentum explicans ait: Duo quidem Paulus in hac epistola probat, & quòd viriliter sint, quæcunque acciderint toleranda, & quòd expectanda sint pro laboribus præmia. non enim neglecturus est Dominus, quos ab æterno ad sanctimoniam destinauit. Quod quanquam Paulus per omnem Epistolam latissimè prosequatur, id tamen ardentius, ac viuidius egit decimo, duodecimo, ac tertio decimo capitulis.

SECUNDO, manifestè apparet, neque Lucam, neque Clemètem, neque Tertullianum, vt quidam existimarunt, fuisse huius Epistolæ Authores, sed Paulum ipsum, idque ex verbis in calce Epistolæ positis, quibus author hortatur Hebræos, vt pro salute sua Deum òrent, quo celerius ipse ad eos reuerti possit. sic e-

nim ait: **AMPLIUS** deprecor vos hoc facere, quò celerius vobis restituar. Quæ verba Clementi, qui Romanus erat, nec vnquam Roma abfuerat, nec apud Hebræos vixerat, conuenire non possunt, sicut nec Barnabæ, quem licet Clemens in itinerario suo inter apocryphas scripturas cõputato, Romæ fuisse scribat, maior tamen Scriptorum pars negat eum venisse in Italiam. vnde hanc Epistolam à Paulo scriptam fuisse indicat ipsius epistolæ subscriptio, quæ in Græcis codicibus habetur. *ἔγραψεν ἀπὸ Ἰταλίας, διὰ Τιμοθέου*, id est, *Scripta ab Italia per Timotheum*: & Chrysostomus eam Romæ scriptam testatur, & inde per Timotheum ad Hebræos missam. sed neque Tertulliano ea verba aptari possunt: tum quia ante tempora Tertulliani in scriptis Patrum plura inueniuntur testimonia ex hac Epistola desumpta: tum quia Tertullianus ipse, vt Hieronymus in libro de viris illustribus annotat, de Authore huius epistolæ suam sententiam protulit. Huc accedit, quòd Autor carceris, & vinculorum suorum mentionem faciens, iuxta Græcam veritatem sic in capite decimo scribit: *καὶ γάρ τε εἰς δεσμοῖς μὲ συνεπαθήσατε* hoc est. *Siquidè & vinculis meis compassi estis.* Quæ verba Clemèti conuenire non videntur. Idemque in fine Epistolæ asserit, se hanc Epistolam tradidisse Timotheo Hebræis deferendam. quod sanè magnum indicium est, Paulum eam scripsisse, eamque dedisse ferendam Timotheo discipulo suo, cui sanctissima necessitudine iunctus erat. quod fortè non fecisset Clemens, quippe qui non tanto societatis vinculo in edificatione Ecclesiarum Timotheo iungeretur.

SED & ipse Autor finem huius Epistolæ claudit in illa felicissima gratiæ precatione, dicens. **GRATIA** domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis Amen. quam precationem ipsemet Paulus in calce secunda epistolæ ad Thesalonicensis testatur esse signum ac tesseram suam, qua omnes epistolas suas subscribere consueuerat: **SALVATIO** (inquiens) mea manu Pauli, quod signum in omni epistola scribo: Gratia domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis Amen.

PERSVADET etiam hanc Epistolam esse Pauli ardentissimus ille zelus, ac feruor, quo totus flagrabat Pauli animus ad conuersionem Hebræorum ad fidei veritatem, quem ad Romanos scribens apertè indicat, dicens. **OPTABAM** anathema esse pro fratribus meis, qui sunt cognati mei, ex quibus est Christus secundum carnem. & iterum. **QVAMDIU** ego quidem sum gētium Apostolus, ministerium meum honorificabo, si quo modo ad emulandum prouocem carnem meam, id est, Iudæos. & saluos faciam aliquos ex illis. Quomodo igitur Paulus ad Hebræos suos non scriberet, quos adèd ardentè amabat? & cum ad alios qui ei secundum carnem non erant coniuncti multas Epistolas scripserat, cur non saltem ad suos vel vnã Epistolam scripsit? Quod si eam scripsit, hæc certè illa est, in qua Paulus diuino illo igne agitatus, hortatur Hebræos, vt deposita vetustate Legis, per patientiam, & laborum sustinentiam festinent ad cælestem illam Ierusalem, & ad perfectius illud

Lib. 1. hæres. 42.
Lib. 3. hist. cap. 29.

Epiph. li. 11. hæres. 69.
Theod. in præfat. epist. ad Hebr.
Hier. in præfat. epist. ad Titum.
Lutherus & Calvinus negant Epist. ad Hebr. esse D. Pauli.

2. Pet. 3.

D. Paulus duo probat in epist. ad Hebr.

1. d. 11.

Heb. 2. c.

Scriptorū magna pars negat Barnabæ venisse in Italiam.

2. Thess. xlt.

Rom. 9.

Rom. 11.

Cap. 38.

Euf. lib. 6. hi.
cap. 11.
Euf. l. 6. hist.
cap. 18.

æternæ redēptionis tabernaculum in vmbri
Mosaici tabernaculi designatum. Eandem hāc
Epistolam esse Pauli, comprobatur commune
omnium vetustissimorum Patrum testimoniū,
& ante alios B. Dionysius Pauli discipulus in
operibus suis citat testimonium ex illa Epi-
stola tanquā à suo (vt vocat) præceptore, du-
ceque, ac institutore composita. Cui subscri-
bit B. Clemens tertius à B. Petro Romanæ Vr-
bis episcopus, de quo Euseb. lib. 3. historiæ sic
loquitur: **CLEMENS** in Epistola quam Corinthijs
scribit, meminit Epistola Pauli ad Hebræos, & utitur
eius testimoniis. unde constat, quod Apostolus tāquam
Hebræis mittendam, patrio eam sermone conscripsit,
& (vt quidam tradunt) Lucam Euangelistam, alij
autem hanc ipsū Clementem interpretatum esse.
quod & magis verum est: quia & stylus ipse Clemen-
tis cum hac concordat, & sensus nimirum utriusque
scriptura plurimam similitudinem seruat. Hæc Euse-
bius. cui astipulatur Clemens Alexandri-
nus, qui eandem Epistolam à Paulo scriptam,
in libris suarum ὑποτυπώσεσιν asserit, ac dein-
de à Luca in Græcum fuisse translata, Orige-
nes verò in Psalmum primum, de huius episto-
læ authore scribit in hunc modum. **QVAM-**
VIS nonnulli de ea, quæ ad Hebræos scripta est dubi-
tauerint, pro eo quod non videatur in ea seruari illa
eius sententia, quam de se ipso pronunciat dicens, *Se*
imperitum esse sermone, sed ego dico, sicut mihi à ma-
ioribus meis traditum est, quia manifestissime Pauli
est, & semper omnes antiqui maiores nostri, ita eam vt
Pauli Apostoli acceperunt. Idem sentit Chryso-
stomus, cuius abbreviator Theophylactus,
contra eos qui negant hanc epistolam esse
Pauli, ita inuehitur. **NON** possum equidem non
admirari multorum hominum impudentiam, qui cum
intelligant per Epistolam huius exordium tam multas
Hereses fuisse confutatas, haud tamen desistunt affir-
mare hanc Epistolam beato Paulo non conuenire, ceu
à cæteris Epistolis alienam, Velim autem non esse hos
nescios, Epistolam huius, & sensum, & profunditatem,
& vim illam inconsutabilem nullius esse alterius posse
quam Pauli, qui Christum habet in se loquentem. Et
ne singula Patrum testimonia recenseam, Am-
brosij videlicet, Hieronymi, Augustini, & a-
liorum, qui Pauli eam esse fatentur, satis sit
nobis vnicum totius Ecclesiæ Catholicæ te-
stimonium, quæ in natalitijs domini nostri Ie-
su Christi solennitatibus, huius Epistolæ ini-
tium sub nomine B. Pauli apostoli in diuinis
mysterijs cantat. Ex quibus perspicuum fit, E-
pistolam hanc alterius non esse quā Pauli.

QVOD autem præsens Epistola in Canone
diuinarum Scripturarum recipienda sit, sacro-
sancta Conciliorum decreta in primis osten-
dunt: maximè verò sacratissima Nicena Syno-
dus eam tanquā ab Apostolo Paulo scri-
ptam inter sacra volumina recepit, & Con-
cilium Laodicenum in catalogo retulit, & Con-
cilium Carthaginense tertium, & Concilium
Auruncanū canoni inseruere. Quibus subscri-
bunt decreta Innocentij primi, & Gelasij, &
Eugenij quarti, quæ hanc Epistolam in Ca-
talogo diuinarum Scripturarum enumerant.
Quod etiam semper in Ecclesia, vt Canonica
recepta fuerit, & à nullo nisi ab Hæreticis re-
probata, cōmunis Patrum Græcorū consensus

demonstrat, quorum ne testimonia vniuersa
percurram, vnicam Theodoretici sententiam
adducam, quam ille contra Arianos hanc E-
pistolam repudiantes expressit. *Nihil faciunt*
(inquit) qui morbo Ariano laborant, si aduersum Li-
teras Apostolicas furiant, & Epistolam ad Hebræos à
reliquis separent, & eam adulterinam appellent. qui
enim auersus Deum, & Salvatorem nostrum lin-
guas mouent, quid non ausi fuerint aduersus eius be-
neuolos, & gradiloquos veritatis præcones? ipsius enim
Domini vox est, Si me persecuti sunt, & vos persecue-
tur, oportebat autem ipsos, etsi nihil aliud, temporis
quidem certè diuturnitatem reuereri, quo hanc Epi-
stolam in Ecclesijs perpetuò legerunt alumni verita-
tis. Ex quo enim Literarum Apostolicarum fuerunt
Ecclesiæ participes, ex illo etiam Epistolæ ad Hebræos
utilitatem recipiunt. Quod si, ne hoc quidem ad eos
persuadendū satis est, Eusebio quidem Palestino oport-
tebat eos credere, quem patronum suorum decretorum
appellant. nam is etiam diuinissimi Pauli hanc esse
Epistolam confessus est, sed is omnibus valere iussis,
aduersus veritatem impudenter decertant, Apostoli-
ca Theologia, qua proemium exornauit, splendorem
non ferentes. Cum enim non possent is, quæ de Vnigeni-
ti Diuinitate aperte dicta fuerant, resistere, ausi sunt
totam Epistolam reicere, cum tamen eius & decreta,
& sententiæ, magnam habeant cognationem cum alijs
eiusdem Epistolis. Hæc Theodoretus. At Augu-
stinus, cum aliquos Latinos hanc Episto-
lam non recipere audisset: malle se (dixit) O-
rientalium Ecclesiarum sequi auctoritatem,
apud quas nulla vnquam fuit de hac Epistola
ambiguitas. Hieronymus autem ad Darda-
num scribens, efficacissimum argumentum
eius Autoritatis existimat, quod eam longissi-
mus Ecclesiæ vsus continua lectione approba-
uerit. Hæc aduersus Epistolæ huius hostes satis
sint. Nunc ad ea, quæ ipsi contra eius autorita-
tem obijciunt, transeamus.

OBIECTIONES HÆRE- TICORVM.

DVO sunt aduersariorum genera, cum qui-
bus nobis de Epistola Pauli ad Hebræos cer-
tamen est, primi (vt iam diximus) Epistolam,
cuiuscunque ea sit, vt adulterinam de Canone
reijciunt. alij quanquam eam vt sacram, ac di-
uinam recipiant: Pauli tamen Apostoli esse
negant. Qui igitur illam de Canone diuina-
rum Scripturarum explodunt, his de causis (vt
refert Philastrius) mouentur.

1. PRIMVM, Epistola ad Hebræos abdicanda
est eò, quod Author eius in ipso statim ex-
ordio vnà cum Arianis malè de vnigenito fi-
lio Dei sentire videtur, tum quia filium diuer-
sum à Patris substantia facit, dum nominat eum,
non substantiam Patris, sed splendorem gloria, &
imaginem substantia Patris, quorum certè neu-
trum substantia est, tum quod filium non à
patre genitum, sed cum alijs creaturis factum
demonstrat, cum addit: **TANTO** melior Angelis
factus, quāto, præ illis excellentius nomen hereditauit.
2. Ad hoc adiugitur, quod idem Author ca-
pite sexto huius epistolæ fauere videatur No-
uatianorum crudelitati, quæ veniam denegat
lapsis. ait enim: **IMPOSSIBILE** est eos, qui semel
illumi

Orientalis Ec-
clesia semper
probat: epi-
stolam ad He-
bræos: tāquam
canonicam.

Philast. in
cat. ca. 89.

Heb. i.

Heb. 6.

illuminati, gustauerunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, & prolas si sunt, rursus renouari ad pœnitentiam. Et rursus cap. 10. eiusdem epistolæ hoc idem cõfirmans, addit, **S P O N T E** namque peccantibus nobis postquam accepimus veritatis agnitionem, non relinquitur hostia pro peccatis. Quæ sententiæ aded crudeles sunt, vt imbecilles peccatorum conscientias in desperationem adducât. hæc Philastrius à vetustis Hæreticis obiecta refert.

3. **R E C E N T I O R E S** verò Anabaptistæ, ac Seruetani alijs eam calumnijs infestât, accusantes primò authorem eius, quòd testimonia Veteris Testamenti perperam interpretetur, B & longè à proposito inducat: sicut in principio epistolæ fecit, vbi demonstraturus Christum esse filium Dei, testimonium illud ex secundo volumine Regum violenter detorsit, nempe: *Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium.* quæ verba non de Christo, sed de Salomone prolata sunt. Sic enim eo in loco Dominus per Nathan Prophetam, ad Dauidem loquitur: *S V S C I T A B O* semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum eius. Ipse edificabit domum nomini meo, & ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium. qui si iniquè aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, & in plagis hominum. misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli à Saul, quem amoui à facie mea. Quæ dicta, tantùm abest, vt de Christo loquatur, vt non sine maxima contumelia ei ac cõmodari possint. quomodo enim aptari poterunt ad Christum verba illa: *Q V I* si iniquè aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum: cum Christus, peccatum non solum non fecerit vnquam, sed nec etiam peccare potuerit?

4. **D E I N D E** Autor commentitia quædam ex incertis Hebræorum assertionibus assumit, asserens in Arca fœderis Iudæorum, fuisse vnam quandam auream, cum manna, quæ pluit in deserto, & virgam illam Aaron, quæ fronderat. cum tamen scribatur tertio Regum volumine, quòd in Arca non erat aliud, nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in ea Moses in Oreb, quando pepigit fœdus cum filijs Israel, cum egrederentur de terra Ægypti.

5. **H I N C** accidisse apparet, quòd eam Latina Ecclesia in canonem non receperit, & ad probanda dogmata non assumpserit, quemadmodum è scriptis Tertulliani, Cypriani, Lactantij, & Arnobij conspicitur, qui nunquam eius testimonio vsi sunt. & Hieronymus vsque ad tempora sua testatur, illam in canone non fuisse assumptam. ait enim super sextum Isaia caput. **V N D E** & Paulus apostolus in Epistola ad Hebræos, quam Latina consuetudo non recipit: & in caput Isaia octauum, **C Æ T E R V M** (inquit) beatus Apostolus in Epistola, quæ ad Hebræos scribitur: licet eâ Latina consuetudo inter Canonicas Scripturas non recipiat. Quin & Hieronymus ipse parum huius Epistolæ Autoritati tribuere videtur, dum eam semper præmissa dubitationis nota citare solet. Atque his argumentis vtuntur, qui Canonicam huius epistolæ Autoritatem infringere conantur.

6. **I L L I** vero qui, Epistolam recipiunt, sed

A Paulum, eius inficiantur Autorem, multis id coniecturis ac Patrum testimonijs persuadere cõtendunt, præsertim vero ex eo (vt Philastrius inquit) quod Autor eius sermone plausibili rhetorice scripserit, splendidiori oratione, & grandiori stylo minimè sententiam illam obferuans, quam de se ipso Paulus pronunciat dicens, *se imperitum sermoni: & N O N* veni ad vos in sublimitate sermonis vt pote qui facundior esset, nec Pauli simplicitatem, quæ in eius Epistolis apparet, potuerit imitari.

7. **V E R V M** ne quis fortè dicat Paulum Hebraicè scribentem eloquentiorem in hac Epistola fuisse, quàm in cæteris ab eo Græca lingua scriptis, sciendum est, eam non Hebraica, sed Græca primùm lingua conscriptam: cuius rei indicia sunt. primùm, quia nec Hebraicè scripta inuenitur, nec vllus vnquam fuit, qui eam se in Hebræa lingua legisset, aut vidisset testatus sit, nec quis de Hebræa lingua eâ in Græcam linguam verterit, satis constet, alijs Lucã, alijs Clementem eius interpretem incerta auctoritate asserentibus. Deinde, quod Author eius, capite Epistolæ septimo nomen *Melchisedech* Regis Salem interpretans, inquit: *Q V O D* interpretatur *Rex iustitiæ, et pacis.* Sed si ipse Hebræus, ad Hebræos, & Hebraico sermone scribebat, quæso. cuius rei gratia voluit explicare, quod vox Hebræis notissima ostēdebat? Deinde, qua lingua illud interpretatus est? non Hebræa ne idē per idē superfluo nugacitatis vitio exponeret. Restat ergo, Epistolam esse Græcè editam. & nomen *Melchisedech*, vt potè Græcis incognitum, Græca lingua interpretatum. His additur, quod Author vtitur veteris instrumēti testimonijs, non secundū Hebraicā veritatem, sed iuxta Græcam septuaginta editionē. quod Hebræum scriptorem, & ad Hebræos potissimum Hebraicè scribentem fecisse, haud quaquā verisimile est. cur enim relicto Hebraicæ linguæ fonte, de externarum interpretationum riuulis Hebraica testimonia mendicasset?

8. **I L L V D** præterea persuadere videtur, Epistolam non esse Pauli, quod ipse nomen suum, sicut in cæteris Epistolis suis facere cõsueuerat huic Epistolæ nō præposuerit. Neq; occasio dubitandi tollitur ex eo quod inquit, Apostolū id cõsulto fecisse, ne Hebræi sibi infensi, cõspecto in frõte Epistolæ Pauli nomine, statim illam abijcerent: poterat enim Apostolus, si foret hoc veritus, nomen suum vel in media Epistola, vel iuxta finem inferere, sicut in omnibus suis Epistolis facere solebat.

9. **H I S** accedunt testimonia multa, & in primis ipsiusmet Authoris, quia capite secundo huius Epistolæ numerat se inter illos, in quos Euāgelica salus cõfirmata est per illos, qui audierunt à Domino Iesu: cuius oppositum de se Paulus prædicat, inquit, *se neque ab homine, neque per hominem didicisse, sed per reuelationem Iesu Christi, nihil sibi Apostolis conferentibus.*

10. **S E D** neq; illud Paulo conuenire potest, quod autor in calce epistolæ pro Timotheo scribit: *RECOGNOSCI TE fratrem vestrum Timotheū dimissum, cum quo si celerius venerit, videbo vos.* Quomodo enim conueniens est, vt Paulus qui iam Cæsarem appellauerat, nec alia de causa,

D d 2 quàm

Cap. lib. 19.

1. Cor. 1.

Heb. 7.

Heb. 2. a

Gal. 1. a

Heb. vlt. d

Heb. 10.

Heb. 1.

4. Reg. 7.

Heb. ca. 9. a

3. Reg. 3.

quàm vt manibus Iudæorum elaberetur, tam repente mutatus, iterum velit ad eos reuerti, promittatque eo se celerius reuersurum, vnde paulo antè, metu mortis effugerat?

II. TESTIMONIA præterea Scripturarum ab Authore aliter inducta, & aliter intellecta, quàm à Paulo induci, & intelligi soleant, indicant eam aliū scripsisse quàm Paulum. Quod enim præsentis epistolæ scriptor è psal. 2. desumpsit, vt ostenderet Christum esse Angelis maiorem, inquit: *Cv i aliquando dixit Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te?* paulus aliter intellexit, assumens illud ad probandam Christi Resurrectionem, cum in synagoga Antiochiæ illud exponeret, dicens: *Et nos annun-*

12. COMMVNIS etiam omnium Latinorū, & Græcorum aliquorum consensus. Authorem huius Epistolæ non fuisse paulum ostendit, sicut Hier. sepe numero id annotauit. velut in libro de Viris illustribus, vbi: *Hæc epistola* (inquit) *apud Romanos vsque hodie quasi Pauli nō habetur.* & rursus in eodem libro, *Epistola* (ait) *quæ fertur ad Hebraeos, nō esse Pauli, creditur, propter styli sermonisque distantiam, sed vel Barnabæ, iuxta Tertullianum, vel Luca euāgelistæ, iuxta quosdam etiam*

13. TANDEM cuiuscūque ea sit, nihil refert. possumus enim citra vllum hæresis crimen affirmare, illam non esse pauli, neque, qui secus credat, hæreticus cenferi debet, ita definiente Hieronymo in epistola ad Dardanum, vbi sic ait: *EAM Epistolam plerique, vel Barnabæ, vel Clementis, arbitrantur: verum nihil interest cuius sit, cum sit Ecclesiastici viri, & quotidie Ecclesiarum lectione celebretur.* Hæc huius epistolæ aduersarij proferre solent.

DILVTIO OBIECTORVM.

I. QVIBVS respondentes dicimus, ad primum, ea pauli verba tantum abesse ab Ariano- rum fauore, vt eis quàm maximè aduersentur. Siquidem, vt Theophylactus ait, verba hæc iuxta Grægorij Nysseni explanationem, paulus filium patris splendorem, ac figuram docens, non eum significat patre minorem, sed per splendorem quidem ostendit essentiæ vnitatem, qua filius patri coæternus, & consubstantialis est, non secus ac lucis splendor. per figuram vero naturæ æqualitatem: quia neque suppositum figura excedit, neque à supposito figura exceditur: suppositum enim figuræ lineas non transcendit, nec figuræ lineamenta, suppositi amplitudinē egrediuntur. Cum vero filium factum dixit, non diuinitate (inquit philastrius) factum intellexit, sed corpore, & humanitate factum demonstrat.

2. NEC verba illa sexti capitis vlla ratione cū

A dogmate Nouati conueniunt. quoniam cum Paulus ait, non posse eos, qui prolapsi sunt, renouari ad pœnitentiam, non excludit à pœnitentia peccatores. sed diuersum (inquit philastrius) dignitatis gradum ostendit inter eum, qui se integrum custodiuit, & illum, qui peccauit, gloriosius enim est in peccati deformitate non cecidisse, quàm post casum à peccati deformitate resurgere. dignitatis itaque detrimentū est in eo qui peccauit, sed non dānum salutis. Quoniam sicut amisso insigni virginitatis decore impossibile est ad ipsum amplius corporaliter renouari, ita amissa pristina iustitiæ dignitate, impossibile est ad eandem amplius iustitiæ, & innocentiae dignitatem per pœnitentiam renouari. neque enim fieri potest, vt qui vel semel in peccatum ceciderit, gloriari iam amplius queat, se non aliquando in peccatum cecidisse. Verum quemadmodum ei, qui à virginitate lapsus est, secundus honor continentiae adhuc remanet, ita illi, qui post lauacrum collapsus est, secunda adhuc restat medela. Excludit etiam Paulus in his verbis non omnem prorsus pœnitentiam, sed rebaptizantium pœnitentiam, qui peccatores post lapsum ad pœnitentiam non recipiebant, nisi reiterato secundo, ac tertio post peccatum baptisate, quod non multo post Paulum tempore, Marcionem fecisse, ac pro cuiusq; grauis culpæ remissione trina baptismatis ablutione pœnitentes expiassent, testis est Epiphanius. Quod cum etiam Pauli tempore fieri cœptum esset, Apostolus pronunciauit fieri non posse, vt peccatores per baptismi iterationem ad pœnitentiam renouarentur. Et in hoc sensu, verba illa decimi capituli intelligenda esse ostendit Chrysostomus, cuius hæc verba sunt: *Hi iterum exurgunt, qui pœnitentiam auferunt dicentes, non est tutum dare peccatoribus sacramenta: siquidem non est secunda post peccatum remissio. Quid ergo dicemus? Quoniam in hoc non pœnitentiam excludit, neq; propitiationem, quæ sit per pœnitentiā, neq; repellit, et deicit per desperationem delinquentē, non enim ita inimicus est salutis nostræ. Sed quia? Secundum excludit lauacrum. Non enim dixit: non est ultra pœnitentia. neque dixit: non est ultra remissio, sed hostia (inquit) ultra non est. crux secunda ultra non est, hostiam quippe hanc vocat.*

3. QVOD autem Anabaptistæ ac Seruetani calumniantur Paulum, scripturam illam secūdi Regum violenter detorsisse ad Christum, proculdubio falsissimum est. multa enim, quæ ad literam de aliquibus in veteri testamento dicta fuerunt, secundum spiritum, & perfectam veritatem in Christo impleta sunt, ac maximè præsens testimonium, quod, vt Lactantius inquit, secundum literam nequit omnino de Salomone intelligi. nam neque Regnū Salomonis, quod in transmigratione Babylonis defecit, perpetuum dici potest, Sicut eius vaticinij verba pollicetur, cum dicit Deus: *STABILIAM thronum regni eius vsque in sempiternum.* neque de Salomone in totum possunt intelligi verba, quæ sequuntur: *Et fidelis erit domus tua, & Regnum tuum vsque in æternum:* quia Salomonis domus plena fuit mulieribus alienigenis, falsos Deos colentibus, & ad idem Salomonem impellen

Psal. 2.
Heb. 1.
Act. 13.

In Gaio.
In Paulo.

Euseb. lib. 6.
cap. 16.

Theophylactus
super 1.
cap. ad Heb.

Phil. ca. 89.

Phil. ca. 89.

Heb. 6.

Epiph. lib. 2.
hæc. 59.

Phil. ca. 89.

Epiph. lib. 1.
hæc. 42.

Heb. 10.

Peccatores nō
renouantur ad
pœnitentiam
per Baptismi
iterationem.

Quæ ad literam
in veteri Testa-
mento dicta
sunt multa de
Christo secundum
spiritum
intelliguntur.

Heb. 1.

3. Reg. 3.

Lactan. li. 4.
diu. instit. 6.

13.

pellentibus. Restat ergo vt hæc completa sint A in Christo filio Dauidis secundum carnem, cuius domus, hoc est, cœtus fidelium, in sempiternum fuit, eritque fidelis: cuius Regnum, hoc est, Ecclesia Christianorum, in perpetuum est, iuxta Danielis sententiam. **POTESTAS eius, potestas æterna, & regnum eius, quod non corrumpetur.** Quare sicut præcedentia, & sequentia verba illius Vaticinij de Salvatore nostro intelliguntur: ita & ea, quæ in medio eorum posita sunt, videlicet, **E G O ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium.** de Vnigenito filio Dei intelligenda sunt, quibus minimè obstat subsequentiæ verba: **S I iniquè aliquid egerit arguã eum:** quoniam licet ipsa Christi persona peccare non possit, Christus tamen mysticus, hoc est, mēbra eius, peccare possunt, & peccant interdum, & visitantur in virga iniquitates eorum, & in verberibus (vt ait Psalmus) *peccata eorum: misericordia autem Domini non aufertur ab eis.*

Dan. 7.

Psal. 88.

Theophylactus. Heb. cap. 9.

Heb. 9.

4. Ad id, quod de Arca Testamenti commemorant, Theophylactus in explanatione noni capituli ad Hebræos hunc in modum occurrit, **Q V Æ R E S** fortasse, cum constet in libro Regum literis proditum, nil aliud fuisse in Arca præter tabulas cõditum, cur nunc, & Urnam adiunxerit Paulus, & Aaronis virgam illã concludit? Eò forte id dixit, quia, vt à Gamalielē instructus, optimè Hebraicam celebrabat historiam, & maiorum traditione rem se ita habere acceperat, præsertim, cum ex Hebræis, qui Pharisæos sectantur, id ipsum & sentiunt, & profitentur: nec tamen in ipsis primordiis, sed longo post tēpore cum esset necesse, vt Ieremia temporibus arca occultaretur, in ea & urnam dicunt fuisse, & virgam reconditas. Hæc Theophylactus, qui paulò suprã reddens causam, cur hæc tria in Arcam locata sint, inquit, diuina id prouidentia factum esse, vt in ea potissima Iudaicæ ingratitude monumenta seruariantur. eius verba sic habent: **H Æ C** haud dubiò cuncta Iudæorum sunt ingratitude monumenta. nam quod in urna manna illud asseruaretur, qua illi quondam cum alerentur obmurmurassent, eò est cõstitutum, vt huius rei fama transfret ad posteros, & quemadmodum illi Deum exacerbassent, memoria prodideretur: Aaron autem virga, vt illorum contumacia innotesceret, & quemadmodum ipsi Aaron iam obstinissent: tabule verò testamenti illos infidelitatis coarguerent, & inconstantia: vt quorum de causa illa attrita, quia vitulum sibi conflassent, & idolis inferuissent.

5. De eo verò quod aiunt, Epistolam hanc ab antiquis Latinis non citari, vt potè, quæ apud eos in Canone non esset, nobisque eorum exemplo licitum esse, eandem de Canone abijcere, respondemus, Hæreticorum sententiã, vt falsam, ita temerariam esse. falsam quidem, quoniam à vetustissimis Romanæ ecclesiæ Patribus eam citatam legimus. atque in primis apud Clementem Romanum, qui in Epistola prima ad Iacobum fratrem Domini ex ea producit verba illa, quæ vndecimo capite habentur: **S I N E** fide impossibile est placere Deo. & Euaristus Papa primus, in Epistola secunda, citat ex quarto capite huius epistolæ sententiã illam: **N O N** est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius: & omnia nuda & aperta sunt oculis eius. & Ignus Pontifex eius nominis primus, in Epistola

ad omnes Christi fideles, testimonium de 2. ca. ad Heb. affert in hunc modum: **I N** eo enim, in quo passus est ipse & tentatus, potens est his qui tentantur auxiliari. Et ne fastidium lectoribus faciam in recensendis omnibus testimonijs, quæ apud vetustissimos Patres de præsentī Epistola accepta inueniuntur, donemus eis nusquam ab antiquis Patribus Epistolam hanc fuisse citatam, & (quod plus est) etiam ab ipsis aliquãdo fuisse de ea dubitatum, quid ergo? Nunquid & nobis licebit iterum de ea dubitare? minimè profectò. nam etsi peruetustis illis Patribus ante vniuersalem totius Ecclesiæ determinationem de hæc Epistola addubitare, eamque non temerè in Canone recipere licuit, nobis tamen post tot Conciliorum decreta, & communem Ecclesiæ catholicæ sanctionem id ipsum minimè facere licet: cum ex his omnes illæ causæ dubitandi sublatae sint, quæ Tertullianum, Cyprianum, Arnobium, Lactantium, atque alios Patres inducere potuerunt, vt de hac Epistola non immeritò hæsitarent, ac proinde ex ea, testimonia ad confirmationem fidei nostræ non producerent. Inter cæteras verò suspicionum occasiones, Prima fuit, quod hæc Epistola esset de genere earum Scripturarum, quæ non statim ab initio nascentis Ecclesiæ, sed paulò serius ad notitiã totius Ecclesiæ catholicæ peruenerunt, cuiusmodi sunt, Epistola Iacobi, secunda Petri, secunda, & tertia Ioannis, & eiusdem Apocalypsis, de quibus antequam in Canone ponerentur, meritò inter Patres disceptatio fuit, ne rem tanti momenti sine longa, & diligenti examinatione decernerent.

Altera verò causa est, quia cum nondum totius Ecclesiæ authoritas quicquam de hac Epistola decreuisset, liberum erat cuique sine Hæresis periculo de ea dubitare, ac differere. Nunc verò quando Epistola hæc post tantam annorũ multitudinem, tot Cõciliorum decretis in canonem assumpta est, non solum temerarium est, sed hæreticum, iterum illius auctoritatem in dubium reuocare. Quod autem subnectunt, hanc Epistolam Hieronymi tempore non fuisse in canone, & Hieronymum ipsum auctoritati eius parum tribuisse, mentiuntur. Si quidem ipsemet Hieronymus, & suã, & ecclesiæ sui temporis sententiã, profert in epistola ad Dardanũ de terra promissionis, sic loquens: **E P I S T O L A**, quæ inscribitur ad Hebræos, nõ solum ab Ecclesijs Orientis, sed ab omnibus Græci sermonis scriptoribus quasi Pauli apostoli recipitur: licet plerique eam, vel Barnabæ, vel Clementis arbitrentur. verò nihil interest cuius sit, cum sit ecclesiastici viri, & quotidie Ecclesiarum lectione celebretur. Quod, si eam Latinorum consuetudo non recipit, nec Græcorũ quidem ecclesiæ Apocalypsim Ioannis eadem libertate recipiunt. Et tamen nos utranque suscipimus, nequaquam huius temporis consuetudinem, sed veterum scriptorum auctoritatem sequentes, qui plerunque eius utuntur testimonijs, non vt interdum de Apocryphis solent, sed quasi Ecclesiasticis, & Canonicis. Ex quibus verbis patet, quod licet irrationabilis vulgi consuetudo tēpore Hieronymi, Epistolam hanc non reciperet, Hieronymus tamen, cæteri que Ecclesiæ præsidēs, ac moderatores,

Quæ causæ mouerunt aliquos vt Epistolam ad Heb. ex Canone reuicerent.

Epistolam ad Heb. tempore D. Hier. fuit Canonica.

quorum erat de autoritate diuinarum Literarum decernere, contempta incerti vulgi consuetudine, Epistolam ad Hebræos pro canonica recipiebant. Hæc ad illos, qui hanc Epistolam de Canone abijciunt.

Origenes in
Psal. 1.

6. VENIO nunc ad eos, qui epistolam recipientes, Pauli eam esse negant: quia author eius per loca Rhetorica diuagatus, splendidiore stylo utitur quàm Apostolus soleat. Quibus dicimus, id non esse mirandum, cum naturale sit unicuique, plus in sua quàm in aliena lingua vigere. ceteras enim Epistolas Apostolus peregrino sermone, hoc est, Græco cõpositus, hæc autem Hebræus, & Hebraicè, id est, proprio eloquio in quo facundior erat, disertius scripsit. credibile est etiã, quemadmodum Origenes in psalmum primum inquit, ut quæ Paulus Hebraica lingua eloquenter scripserat, Græcus interpres (quisquis ille fuerit) eloquentius etiam in Græcum sermonem transtulerit.

D. Paulus scripsit sermone hebraico epistolæ ad Hebræos.

7. IAM verò quod afferunt, Epistolam hanc scriptam non fuisse Hebraicè, quia nec interpretis nomen scitur, nec Hebraicè scripta inuenitur, parui admodum est momenti. Quid enim refert, an Hebraicè scripta inueniatur, nec ne, cum omnes consentiant eam ex Hebræo in Græcū conuersam? Quis autem fuerit interpres, siue Lucas, ut Clemens Alexandrinus in libro Hypotyposeon putat, siue ut alij arbitratur Clemens Romanus, tam exigui ponderis res est, ut consideratione non egeat, sed

Origenes in
Psal. 2.

ut inquit Origenes, si requiratur per quem sit eius sermo cõpositus, pro certo quidem Deus viderit, opinio tamen, quæ ad nos usque peruenit, est, vel quòd Clemens Apostolorum discipulus, & Episcopus vrbs Romæ, græco eam sermone, non tamen sensibus expoliuerit, vel quòd Lucas, qui Euangelium scripsit, & Actus apostolorum exornauerit. ILLVD item quod aiunt, interpretationem nominis Melchisedech Græcum scriptorem præ se ferre, leuissimum est, cum id ab interprete Græco factum esse, nemo sit, qui non statim agnoscat, si considerauerit, vñtatissimū esse in sacris Literis, ut interpretes frequenter eiusmodi nomina interpretentur, sicut in Genesi, & in Exodo factum est, de nominibus Benoni, & Beniamin, & Phasa: quorum primum, Septuaginta vertuntur *filium doloris mei*, secundum *filium dextera*, tertium *transitum domini*. Quod autem dicimus, de horum nominum interpretatione ab interprete factum esse, idem quoque dicimus de testimonijs veteris Testamenti iuxta Septuaginta in hac epistola inductis. Verissimile enim est interpretem (quisquis ille fuerit) in vertendis veteris Scripturæ testimonijs, quæ Paulus iuxta Hebraicā veritatem citaauerat, Septuaginta editione tanquam sibi, qui Græcus erat, magis familiari usum esse.

Hier. in pref.
epistolæ ad Heb.

8. DE nomine autem Pauli, quod Epistolæ nec præscriptum, nec introscriptum est, satisfacit Diuus Hieronymus, inquit. QVOD

Duabus de s. Epistola hæc non est. B. Pauli, quia nomen eius præscriptum non habet, ergo nullius erit, quia nullius alterius ei præscribitur nomen. Quanto ergo prudentius, vel ob hoc ipsum existimare eam esse B. Pauli, quia singularis in ea fuit nominis suppressendi

A ratio? ea vero duplex fuit: una quòd ad eos scribens, qui ex circuncisione crediderant, quasi gentium Apostolus, & non Hebræorum, sciens quoque eorum superbiam, suamque humilitatem ipse demonstrans, meritū officij sui noluit anteferre. Nam simili modo Ioannes Apostolus propter humilitatem in Epistola sua, nomē suum eadē ratione non prætulit: Altera causa est, quòd Paulus Hebræis odiosus erat, quibus & Gentium Apostolus, & Legis destructor videbatur. itaque nomen suum odiosum Epistola non præposuit, ne præscripti nominis inuidia sequentis utilitatem excluderet lectionis, atque ea de causa nomen suū, nec introscripsit, nec subscripsit, sicut in ceteris Epistolis fecerat, ut Epistola inter insensos sibi Hebræos tutior absque proprii nominis impedimento vagaretur, ac libentius à principio vsq; ad finē tota ab omnibus perlegeretur.

9. DE verbis autem Apostoli, quibus se inter eos annumerare videtur, qui non à Christo, sed ab Apostolis acceperunt, dicitur Paulum his verbis asserere, se non de doctrina, sed de salute ab alijs didicisse, quæ salus confirmata est in ipso per eos, qui audierunt à Domino, nempe ab Anania discipulo Domini, ad quem missus est, ut per illum in eo confirmaretur Salus ex baptismi ablutione, & visus restitutione. Quanquā si de doctrina eius loquamur, hæc quoque per eos, qui videbantur esse columnæ Ecclesiæ confirmata est: quemadmodū ipse met ad Galatas testatur, se cum Apostolis cõtulisse Euangelium suum, quòd prædicabat in gentibus, ne fortè in vacuum curreret.

10. NEC mirum cuiquam videatur, si Paulus, qui ob metum Iudæorum Cæsarem appellauerat, ad Iudæos iterum quasi mutato cõsilio reuerti desiderauerit, quando Christus in Iudæam, vnde paulò ante vix è manibus lapidantium effugerat, etiam reprehendentibus Apostolis reuerti voluerit: *duodecim enim hora*, ut tum dixit Christus, *sunt diei*. Vnde & possibile est, Paulum tum admonitū Dei spiritu, illud à quo prius abhorrebat animus, desiderasse: præsertim verò cum exacto Romæ biennio, tutius crediderit se Ierosolymam reuersurum, vel quòd iam sedatam Iudæorum inuidiam speraret, vel si nondum sedatam crederet, tamen cum iam solutus esset, facile à Cæsare tutum sibi reditum ad suos polliceri poterat.

11. ILLVD verò, quod de testimonio Psalmi secundi aliter hic quàm in Actibus à Paulo inductum obijcitur, facillimè diluit Beda, inquit, testimonium Psalmi à Paulo in Actibus recitatum, non ad Resurrectionem Christi, de qua proximè Apostolus in concione sua dicturus erat, pertinere, sed ad vtranq; Christi natiuitatem, æternam scilicet, ac temporalem, de qua paulò supra locutus fuerat in eadem concione, dicens eum natum de semine David secundum carnem, & à Ioanne tanquam Messiam, verum Dei filium prædicatum.

12. AD omnia Hieronymi testimonia, ut iam supra dictum est, respondemus, eum non secundum suam ipsius sententiam loqui, sed secundum aliquorum Latinorum opinionem, & præsertim iuxta vulgi consuetudinem, vsu potius quàm ratione, ac eruditorum iudicio, eo tempore introductam. Quo tempore

D. Paulus cõ apostolis cõtulit euangelium. Gal. 2. a

Ioan. 9.

Bed. sup. 13. cap Act. Act. 13. Heb. 1. Psal. 2.

pore licet aliqui etiam Latinorum illustres, de hac Epistola dubitarint, an in Canone recipienda esset, nostra tamen ætate post Ecclesiæ determinationem tam diuturnam ac certam, non licet amplius de ea dubitare.

13. Et ne quis dicat, se citra Hæresis crimen saltè de authore huius epistolæ dubitare posse, quia Hieronymus dixerit, *CIVS CVNQVE illa sit, nihil interest*: sciendum est, ipsum non in morem asserentis ac determinantis id verbum protulisse, sed ex aduersariorum sententia: ut secundum disputantium legem ostenderet absurdam illationem eorum, qui ex incertitudine Authoris, Epistolam hanc non esse canonicam inferebāt. Hanc igitur Hieronymus consecutionem reiiciens, inquit, quòd cuiuscunque Epistola sit, nihil interest, aut obest, quin canonica esse possit, dummodò orthodoxi & ecclesiastici viri sit. Desinant igitur mirari temerarij isti, si eos cùm tantis testimonijs non credant, Hæreticos pronunciemus. Nec vltra dicant: Quid magni interest, si quis de authore huius Epistolæ dubitauerit? Nam satis, ac multi refert. etenim Ariani, Seruetani, & Anabaptistæ hinc primum ansam arripuerunt reiiciendi hanc Epistolam, quod profectò facere non ausissent, si eam tanquam Pauli Apostoli pro certo ab omnibus accipi vidissent. Sed & multi sanctorum Virorum libri nulla alia de causa ab Ecclesia de canone reiecti sunt, nisi quòd eos Authorum illorum, quorum nomine prænotabantur fuisse, creditum non sit: sicut accidit de libro Enoch, & plerisq; alijs libris qui in Scripturis sanctis citantur, quos Augustinus dicit Ecclesiam respuisse: non quia eorum hominum, qui Deo placuerunt reprobareret authoritatem, sed quia illos eorū esse non crederet, quorum esse dicebantur. Deinde plurimi refert, ut Authoritas tot Patrum, qui id nobis testati sunt, integra, indubitata, & ab omni deceptionis suspitione immunis seruetur. Nam si in hoc vno tot Patres fuisse deceptos concedamus, quid obest, ne in alijs quoque erroris, & imprudentiæ suspecti reddatur? Cùm his, qui fallitur, & fallit in vno, etiam in alijs falli, & fallere potuisse credendus sit. Hactenus de epistola ad Hebræos.

DE CANONICIS SIVE CATHOLICIS EPISTOLIS.

Hæresis. IX.

Epistolas Canonicas reiicere.

ASSERTORES HVIVS

HÆRESEOS.

Hæc Hæresis bipartita est, Alij omnes protus Canonicas siue Catholicas Epistolas abijciunt, ut Marcion, atque omnes hi, qui præter Euangelium Lucæ nihil de nouo Testamento accipiunt. Alij verò, aliquas tantum ex eis reiiciunt, quemadmodum Lutherus, qui cùm duas tantum Canonicas Epistolas, nescio, qua religione commotus intactas reliquerit, videlicet primam Petri, ac Ioannis, in quinque alias libere debacchatur: abijciens primum de Cano-

ne Epistolam Iacobi, nulla alia de causa, quàm quòd dogmati suo de Iustificatione per solam fidem aduersetur. asserit autem illam falsò Iacobi nomine inscriptam, eò quòd nihil Apostolici spiritus contineat, sed tota (ut verbis eius utar) arida, ac straminea sit, tumoris, & contentionis plena. negat etiam Epistolam Iudæ esse canonicam, & dignam, quæ inter catholicas Scripturas numeretur: similiter & alias tres Canonicas epistolas, Petri videlicet secundam, & Ioannis secundam, ac tertiã vertit in dubium, astruens illas non esse eorum, quorum nomine prænotantur, Sed incerti cuiuspiam authoris, qui fœtus suos alieni nominis splendore illustrare voluerit, Anabaptistæ verò, ac Seruetani sentientes impietatem ab eis aduersus maiestatem sanctissimæ Trinitatis excogitatam, prosterni ex prima Ioannis epistola, asseuerant eam ab assertoribus Trinitatis fuisse adulteratam, additis in ea nonnullis, quibus assertionem suam tuerentur.

IMPUGNATIO.

QVORVM nos audaciam Ecclesiasticæ authoritatis pondere cõprimentes, ostendimus non solum omnes has Epistolas esse Canonicas, sed etiam eorum esse, quorum nominibus præscribuntur. Primum igitur quòd prior Ioannis, ac prima Petri Canonice sint, & eorum quoque Authorum sub quorum nomine feruntur, ad eò constanter perpetuus ecclesiæ consensus, & omnis veneranda Patrum antiquitas, quæ, ut Eusebius asseuerat, de his duabus Epistolis nunquam dubitavit, semperque eas in ordine sacrarum Literarum sub nomine Petri, & Ioannis recensuit, ut superfluum sit id conari ostendere. De alijs verò quinque Epistolis, quanquam aliquando inter Patres fuerit dubitatum, quia non statim sub ipsis Apostolorum temporibus, sicut primæ duæ Epistolæ, sed longè post ad totius Ecclesiæ notitiam peruenerunt, tamen & ipsæ tandem vnanimi omnium Patrum voluntate ac totius Ecclesiæ consensu in numero sacrorum voluminum sub eodem nomine Apostolorum, quod nunc in frontibus eorum legitur, receptæ sunt. easque semper omnia sancta Concilia, à Concilio Laodicensi, & Cathagineni tertio, vsque ad nouissimam sanctam Tridentinam Synodum in Catalogis diuinæ Scripturæ numerarunt, tametsi etiam longè ante prædicta Concilia, vetustissimi illi nascētis Ecclesiæ Patres, harum Epistolarum testimonijs, non tanquam de Apochryphis, sed tanquam de Canonicis Scripturis ad cõfirmanda Ecclesiastica dogmata vti sint. in primis verò Clemens, tertius post Petrum Pontifex, in Epistola sua secunda accepit ex quarto Iacobi capite verba illa: *Si autem iudicas legem, non es factor legis sed Iudex.* & iterum: *HVMILIAMINI in conspectu Domini, & exaltabit vos.* & Anacletus Papa in Epistola sua prima, citat sub nomine Iacobi testimonium ex secundo capite, inquit: *QVICVNQVE autem (ut ait apostolus Iacobus) totam legem seruauerit, defecerit autē in vno, factus est omnium reus.* & Alexander Papa primus, Iacobum ex quinto capite huius epistolæ testem inducens ait *MVLTV enim (ut ait B. Iacobus Apostolus)*

D d 4

valet

Aug li. 18. de
cin. cap 38.

Lib. 3. c. 25.

Lutherus ex
7. canonicis
Epistolis rei-
ciit quoque.

valet deprecatio iusti assidua. Urbanus I. in epistola prima, verba secundi capituli huius epistolae sub Iacobi titulo allegat dicens: **Q**UOD *Prodest fratres mei* (Iacobus apostolus ait) *si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Quod autem maximè facit ad confirmandam huius Epistolae maiestatem: illud potissimum est, quòd vniuersalis totius Catholicae Ecclesiae auctoritas, ex hac vna Epistola, Sacramentum Extremae vntionis, prius in Euangelio Marci insinuat, confirmat, quemadmodum ex decreto Innocentij eiusdem nominis primi apparet, & ex his quae post Innocentium fuerunt Concilijs, constat.*

2. Pet. 8.

SIMILITER quoque ex secunda Petri Epistola, Anacletus in Epistola sua tertia inducit verba quaedam tertij capituli, veluti à Petro prolata, inquiens: **P**ROPTER quod charissimi expectantes fatagite (vt Petrus ait) *immaculati & inuiolati inueniri in pace.* Ratio quoque ostendit 2. hanc epistolam esse Petri: quia si eius non sit, profectò erit impudentissimi cuiuspiam nugatoris, ac fabulonis. testatur enim ibi Author se fuisse vnum ex his, qui in monte sancto fuerunt, & viderunt magnificam Christi gloriam de nube allatam, quod si circulator hic tam turpiter nobis imposuisset, vt se fidelibus omnibus pro Petro venditasset, qui fieri potuisset vnquam vt ecclesia, quae errare non potest, hunc impostorè inter sacros Scriptores computasset, & in conuentibus fidelium, in sacris etiam mysterijs, legi iussisset? Huc accedit, quòd Author huius Epistolae cum laudatissimum illud testimonium redderet de epistola Pauli, scripta ad Hebraeos, appellat se non solum Pauli fratrem, sed charissimum fratrem, inquiens: **S**CRIPSI VOBIS clarissimus frater noster Paulus. at certè nullus inter Apostolos Petro charior fuit, quam Paulus, qui vt in vita semper dilexerat eum, ita & in morte ab eo non est separatus, vna die, & vno loco, eundem habens passionis comitem, quem semper habuerat praedicationis Euangelicae socium.

DD. Petrus, & Paulus vno die, & vno loco mortui sunt.

DE DVABVS autem posterioribus Epistolis Ioannis apostoli, palam est, Hieronymum, Ambrosium, & Augustinum, frequenter testimonia ex secunda huius Apostoli accipere. De tertia verò (vt ceteros vetustos Scriptores omittam) Dionysius omnium antiquissimus, in libro caelestis Hierarchiae, capite tertio, citat verba quaedam ex primo huius epistolae capite.

Cap. 4.

Har. 16.

DE EPISTOLA itidem Iudae Apostoli, Anacletus in tertia sua Epistola accipit verba illa: **H**I sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes &c. & Alexander primus, Epistola tertia, imposito nomine Iudae apostoli, testimonium profert, citat in hunc modum: **E**CCE (ait Iudas Apostolus) *veniet Doq̄ninus in millibus suis & reliqua.* Sed & quem ante omnes nominare debueram, D. Dionysius in libro de diuinis nominibus, de hac Epistola testimonium sumpsit. & D. Epiphanius libro primo aduersus Hæreses, citans ex hac epistola testimonium contra Gnosticos, ait: **Q**UARE de his arbitror commotus est Spiritus sanctus in Apostolo Iuda, in Catholica inquam Epistola ab ipso scripta:

A Iudas autem hic est, qui frater Iacobi & Domini dicitur. & Hieronymus in libro de Viris illustribus, de hac ipsa Epistola sic scribit: **I**UDAS frater Iacobi, paruum quidem, quae de septem Canonicis est, Epistolam, reliquit, & quia de libro Enoch, qui Apocryphus est, in ea assumit testimonia, à plerisque reijcitur, tamen auctoritatem vetustate iam & usu meruit, & inter sanctas Scripturas computatur. Idemque in Epistola ad Marcellam de ea testimonium profert his verbis, *In epistola canonica Iudas Apostolus frater Iacobi scribit dicens, C O M M O N E R E autem vos volo &c.* De omnibus verò Canonicis simul epistolis, deque earum numero, auctoritate, & autoribus idem Hieronymus suam, ac totius Ecclesiae sententiam exprimens in epistola ad Paulinum, sic inquit: *Iacobus, Petrus, & Ioannes, & Iudas, septem scripserunt Epistolas, tam mysticas, quam succinctas, breues, & longas, breues in verbis, longas, in sententijs, & in prologo septem Canonicarum ad Eustochium singulariter numerum, & ordinem earum explicans ait: N O N ita est ordo apud Græcos, qui integrè sapiunt, fidemque rectam sectantur, Epistolarum septem, quae Canonica nuncupantur, sicut in Latinis codicibus inuenitur, vt quia Petrus est primus in ordine Apostolorum, & prima sint etiam eius Epistola in ordine ceterarum: sed sicut euangelistas dudum ad veritatis lineam correximus, ita has proprio ordini Deo iuuante reddidimus. est enim prima earum, vna Iacobi, dua Petri, tres Ioannis, & vna Iudae, Ex quibus luce clarius apparet, omnes istas Epistolas, vsque ad ipsa Apostolorum tempora in maxima semper auctoritate fuisse, & eorum, quorum nomine praenotantur, semper fuisse creditas.*

OBIECTIONES HÆRETICORVM.

1. **A**DVERSVS Iacobi Epistolam, quae prima est in ordine, prophanus Lutherus insurgens obijcit primùm, quòd eius sententia cum doctrina Pauli pugnet. Paulus enim ad Romanos scribens, dicit *hominem iustificari non ex operibus, sed ex fide: comprobans hoc Abraham exemplo, qui non ex operibus, sed ex fide iustificatus est apud Deum, sicut scriptum est: C R E D I D I T Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam.* cuius oppositum docet Author praesentis Epistolae, afferens Abraham non ex fide, sed ex operibus iustificatum, inquiens: **A**BRAHAM pater noster, *nonne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? & Paulo post: Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum.* Iacobus igitur contrarium eius docet, quod Paulus docuit.

Roma. 4.

Gen. 15.
Iac. 2.

2. **D**EINDE quòd multum ab Euangelica pietate distet haec Epistola, ex eo apparet, quòd Author ipsius magis quam deceat Euangelicum virum, & à iugo legis, Christi benignitate, liberatum, ostendat se amarulentum, & asperum, dum seuerissimam legis Mosaicae maledictionem iam per Christum abolitam, iterum fidelibus intentat, dicēs: **Q**UICVNQVE totam Legem seruauerit, *offendat autem in vno, factus est omnium reus.* Quae quidem sententia si vera sit, quomodo verum erit, Christum acerbissimam Legis durtiè, in iugum Euangelij suaue, & o-
Rursus

Iac. 2.

Iac. 3.

Rursus cum in multis (vt idem ait author) offendamus omnes, nonne per omnem vitam rei semper erimus vniuersę Legis, & post hanc vitam, ab æterna quoque vita excludemur?

3. QVIN & ipse huius Epistolę stylus arguit eam nõ esse Iacobi Apostoli: phrasim enim eius non refert maiestatem illam & grauitatē Apostolicam, nec hebraismi tantum, quantum in Iacobo Ierosolymorum episcopo credibile est adfuisse. Deinde salutatio Epistolę tam pura est, ac omnis Christiani spiritus expers, vt nulli Apostolicarum Epistolarum conformis sit nihil Dei, nihil Iesu Christi, nihil gratiæ, nihil pacis, vt cæteræ Apostolorum Epistolę annuncians, sed prophano more tantum salutem proferens. Sed nec ipse se Apostolorum in titulo Epistolę nominat, sed solummodo Iacobum, tametsi in nostris Latinis codicibus, Apostoli cognomen adiectum fuerit, contra Græcorū exemplarium veritatē, in quibus tale cognomen nusquam legitur, Ex quibus simul iunctis, huius Epistolę minus certus redditur author, eiusq; autoritas non parū imminuitur.

4. ADSVNT præterea non contemnenda veterum scriptorum Testimonia, qui huius Epistolę autoritatem vertant in dubium, quos inter Eusebius Cæsariensis secundo libro Historiæ Ecclesiasticæ sic ait: *HACTENVS de Iacobo, cuius illa habetur Epistola, quæ prima scribitur inter eas, quæ Catholica appellantur. Sciendum tamen est, quòd à nonnullis non recipitur, nec facile quis antiquorum meminit eius, nec illius quidem, quæ dicitur Iudæ quæ etiam ipsa est vna ex septem.* & D. Hieron. in libro de viris illustribus, sic scripsit. *IACOBVS frater Domini vnā tantum scripsit Epistolam, quæ de septem Canonicis est, quæ & ipsa ab alio quodam sub nomine eius asseritur, licet paulatim tempore procedente obrinuerit autoritatem.* Ex quibus Hieronymi verbis, duo sese offerunt colligenda. vnum, hanc alterius esse Epistolam, qui se Iacobi nomine ornauerit, aliud, quod Epistola, Canonicam autoritatem habere non potest: quia nec temporis diurnitas, nec fidelium consuetudo, nec tacita conuenientis Ecclesiæ permissio efficere possunt: vt doctrina aliqua (quæcunque ea sit) incipiat esse vera, canonica, & diuina, si ex se talis ipsa non fuerit. Neque enim est in potestate hominum efficere, vt quæ diuino Spiritu reuelata non sunt, diuinitus edita sint, & vt quæ ab vno auctore scripta nõ sūt, ab eo auctore scripta sint. Hæc Luther⁹ cõtra Apostoli Iacobi epistolam.

5. DE secunda verò epistola Petri idem dubitat, an Petri sit: quia Eusebius libro tertio historiæ de ea ponit hæc verba: *PETRVS Apostolus prædicationis suæ monumēta per pauca reliquit. vna etenim eius Epistola est, de qua nullus omnino dubitauit, nam de secunda multis incertum est.* & D. Hieron. in libro de Viris illustribus: *Secunda, inquit Petri Epistola à plerisque eius negatur, propter styli eius cum priori dissonantiam.*

6. DE Epistolis item secunda, & tertia Ioannis, certum est quòd eius non sint, quia ipse Author in vtriusque Epistolę salutatione se Ioannem, non Apostolum, sed Presbyterum appellat, tacito etiam nomine Ioannis, dicens: *PRESBYTER electa domina. & PRESBYTER*

A *Caio charissimo.* Vnde Hieronymus in libro de Viris illustribus inquit: *Scripsit Ioannes vnā Epistolam, cuius exordium est: QVOD EVIT AB INITIO, quæ ab vniuersis Ecclesiasticis, & eruditis viris probatur. reliquæ autē duæ quarū prima principium est. SENIOR ELECTAE DOMINAE, & sequentis: SENIOR CAIO CARISSIMO, quem diligo in veritate, Ioannis Presbyteri asseruntur, cuius & hodie alterum sepulchrum apud Ephesum ostenditur.*

7. IPSAM verò primam Ioannis Epistolam, Anabaptistæ contendunt, adscititiis additionibus falsatam, sumpto hinc argumento, quòd in quinto eius capite addita sit sententia illa: *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt.* quam sententiam eo in loco dicunt insertam à fauoribus Trinitatis, reclamantibus omnibus vetustis Græciæ exemplaribus, in quibus ea verba olim non fuisse, etiam Hieronymus in præfatione Canonicarum Epistolarum testatus est. Erasmus verò, qui in prima editione sua Noui Testamenti eam non habet, idcirco illam se præteruisse affirmavit, quia in Græcis codicibus ea verba non legerentur.

8. DE Epistola autem Iudæ, præter id, quod Eusebius libro tertio historiæ, & Hieronymus in libro virorum illustrium asserunt, fuisse de ea à veteribus dubitatū, & quòd prisca Patres nulla de ea, vt potè de Apocrypha, testimonia citant, illud quoq; ostendit epistolam esse Apocrypham, & Fide indignā, quòd Apocryphis testimoniis doctrinam suam confirmet, inducens ad incertam Enoch scripturam dicens: *PROPHETA VIT autem de his septimus ab Adam Enoch: ecce veniet dominus in sanctis millibus suis facere vindictam contra omnes &c.* Ad hæc etiam citat altercationem Michaelis cum Diabolo de corpore Mosi, quæ nullibi in sacris Literis legitur. Quare cum Author Epistolæ relicto Canonicæ Scripturæ fonte vnde innumera testimonia ad suum argumentum de perpetua punitione impiorum accepisse poterat, ab incerta Scriptura auxilia mutuarit, meritò Epistolam suam suspectam fecit, vt eam, quæ incertis Apocryphæ Scripturæ testimonijs innitatur. Cui absurditati etiam aliud magis absurdum adiecit, quòd Apocryphos libros de Prophetia Enoch, & Diaboli certamine, suo testimonio approbauerit, & eis parem cum Canonicis Scripturis autoritatem detulerit, dum ex eis testimonia ad probandam Canonicam doctrinam, tanquam ex libris certis, approbatis, & Canonicis, accepit. Hæc hæretici.

DISSOLVTIO OBIECTORVM.

1. LUTHERVS, malitia excæcatus, longissimè fallitur: dum credit Iacobi sententiam doctrinæ Pauli esse contrariā. Oportebat enim eum legisse Augustinū, qui in præfatione Psal. 31. Paulum & Iacobum his inter se verbis conciliat: *DE ipso Abraham inuenimus in Epistola alterius apostoli, qui volebat corrigere homines, qui malè intellexerunt ipsum Apostolum Paulum: Iacobus enim in Epistola sua cõtra eos, qui volebant bene operari, de sola fide præsumētes, ipsius opera cõmendauit, cuius Paulus fidē: & non sunt sibi aduersi Apo-*

Aug. in præf. psal. 31.
Rom. 4.
Iac. 4.

foli.

Cap. 13.

Cap. 3.

Cap. 25.

Cap. 25.

2. Ioan. 5.

stoli. Cum enim Abraham, secundum Paulum, iustificatus sit ex fide, tanquam ex radice, & sandamēio, secundum Iacobum, iustificatus est ex operibus tanquam ex fructu, & superedificatione. Atque, hoc modo intellecti hi duo Apostoli, sunt inter se omnino concordēs.

2. **N**EC aded seuera est Iacobi sententia, vt nos pro quocunque leuissimo crimine reos vniuersę Legis statuatur, quemadmodum Lutherus conqueritur. Non enim Iacobus per vnicum illum in vno defectum, intelligit quodcunque minimum, ac veniale peccatum, sed illud vnum graue, ac magnū delictum, quo contra Legem charitatis Dei, & proximi, & contra Legislatorem, non ex humana fragilitate, sed ex legislatoris contemptu peccatur, aduersus quam charitatem, ac Legislatorem, si quis crimen admiserit, meritò totius Legis fit reus, quia totius legis plenitudo est charitas, & in ea tota lex pendet. Ita hunc locum exposuit August. serm. 4. de tempore, dicens: *Qui offenderit in vno, factus est omnium reus. Quid est hoc vnum, nisi illud quod Apostolus dicit, omnis lex in vno sermone completur, Diliges dominum deum tuum, & proximum tuum sicut te ipsum?* & in epist. 29. ad Hiero. ait: *Qui in vno offenderit, fit omnium reus, si cōtra charitatē facit, vnde tota Lex pēdet reus enim, et omnium faciendo contra eam, in qua pendēt omnia.* Ex quibus Apparet, eius sententię seueritatē non cōtra omnes peccatores, qui in aliquo offendunt, promulgari, sed contra eos solum, qui legem charitatis, atque eius Legislatorem Deum ex contemptu, & despectu legis, ac legislatoris, non carnis fragilitate, sed malitię, ac malignitatis iniquitate offendunt. Rursus iuxta Cyrilli expositionem, dici potest eos, qui in vno defecerint, pronuncari totius legis reos, non quia puniantur de ceteris præceptis quę obseruarunt tanquam si ea transgressi forent (hoc enim iniquum esset omnino) sed quia propter vnus mandati transgressionem, priuabuntur æterno præmio non aliter, quàm, si omnia diuina præcepta contempserint. D. Thomas, ab hac interpretatione non admodum discrepans, ait peccatorem in vno deficientem, reum fieri omnium mandatorum ea ratione, quòd in vnus transgressionem illum ipsum contemnit, qui omnium præceptorum est auctor.

3. **Q**UOD autem salutationem Epistolę accusat, tanquam eam, quę nihil Dei & Christi contineat, aperte delirat: ponitur enim in ea, *Iacobus, Dei, ac domini nostri Iesu Christi, seruus:* quo quid Christianius dici potuit? sed inquit, præponit Epistola vocem illam salutis gentilibus visitatam. O infanum & stolidum Lutherum. Nonne Lucas Actuum 15. testatur, apostolos ex concilio Ierosolymitano scribētes ad gentes, eandem vocē Epistolę præposuisse in his verbis? *APOSTOLI & seniores his, qui sunt Antiochia, & Syria, & Cilicia, fratribus ex gētibus, salutem.* & tamen non pudet eum eiusmodi ineptias in medium proponere. Suadet etiā consimilis insania Epistolam reiiciendam, quòd salutationibus persimilis, & tamen habet ob oculos tertiā Ioannis Epistolam, cuius salutatio nulli Apostolicarum Epistolarū similis sit, itē & primā Ioannis Epistolā, in qua Apostolus nulla præmissa

salutatione, veluti ex abrupto orditur: **Q**UOD **F**VIT **A**B **I**NITIO: dicit etiā prophanus hic, non inesse Epistolę tantū Apostolici spiritus, quantum deceat Iacobū. At longē aliter iudicant catholici Patres, Ambro. Hier. & August. & omnes alij, qui eam Spiritu Sancto dictante conscriptam decernunt, quibus magis credimus, quā infano Lutheri. Dicit Apostoli cognomen in Gręcis exemplaribus deesse: sed redarguitur eius temeraria impudentia, quia, vetustissimi quique Latinorum Codices, & præter hos etiam nonnulla Gręca exemplaria, illud habent, quod manifestum indicium est, vetusta Gręcorum exemplaria id ipsum Apostoli cognomē in salutatione Epistolę habuisse, & post modū, vel casu, vel malitia, intercuisse.

4. **I**NDVCT etiam verba Eusebij, sed iuxta Hæreticorum consuetudinem detruncata, præteriens id, quod statim Eusebius addit: *Nos tamen scimus istam cum ceteris ab omnibus Ecclesijs recipi.* His etiam apponit Hieronymi dictum, quod tamen nihil causę suę patrocinaur: cum satis constet, ex alijs compluribus Hieronymi sententijs eum non propriam, sed aliorum sententiam referre. Nec ita perperam sequentia verba Hieronymi interpretanda sunt, vt ex his cum Lutheri deducamus, Epistolam hanc, vel temporum successu, vel Ecclesię dissimulatione diuinam factam, & Iacobo ascriptam cum talis ipsa non esset. (hoc enim impossibile prorsus est) sed sic potius iuxta veram Hieronymi mentem exponenda sunt, quòd Epistolam hanc, de qua primum inter aliquos ambigebatur, an diuino spiritu, & an ab Apostolo Iacobo scripta esset, Ecclesia Christi paulatim tempore procedente comperit esse veram, & Canonicam, & ipsius Iacobi germanam, sicque quod ipsa Ecclesia in morem aurorę magis ac magis progressu temporis illuminata inuenerat, omnibus palam fidelibus, manifestauit, declarauitque, nempe Epistolam verē esse Iacobi, Apostoli, & ab eo, Spiritu sancto dictante compositam. Hęc de Epistola Iacobi.

5. **D**E secunda autem Petri Epistola cum Lutherus contendit esse de ea dubitandum propter verba Eusebij, & Hieronymi, vanum & puerile est argumentum. nam præter id quòd vterque non suam, sed aliorum incertam referat opinionem, si propter hoc de Epistola hac ambigere nunc licet, quia quondam aliqui de ea dubitarunt, licebit quoque de Christi diuinitate dubitare. quia de ea aliquando ab Apostolis nondum plene credentibus, ante susceptionem Spiritus sancti fuerit dubitatum. Quare si tempore Eusebij plerisque incerta fuit secunda Petri Epistola, quòd nondum quicquam de ea, Ecclesia definierat, nunc post Ecclesię definitionem adeo certa est, vt nullus amplius de ea dubitandi locus, nisi Hæreticis, relinquatur. De styli verò diuersitate, qua inter se duę Petri Epistolę dissident, Hieronymus in Quæstionibus ad Hedi-
biam satisfacit his verbis: *D*VÆ Epistolę, quę feruntur Petri stylo inter se, & caractere, structuraque verborum differant, ex quo intelligimus, Petrum pro necessitate rerū diuersis fuisse usum interpretibus.

quę

Qui in vno offendit, quomodo dicatur reus totius Legis.

Aug. ser. 4. de temp.

Idem de ver. & fals. poet. cap. 14.

Lutherus infans & stolidus. Act. 15.

D. Petrus pro necessitate rerum diuersis fuit usus interpretibus.

quæ Hieronymi sententia ostendit, ex diuersitate styli, non authorum, sed interpretum, diuersitatem inferri.

6. ILLVD idem, quod contra duas Epistolas Ioannis, Lutherus de prænotatione Presbyteri opponit, nullum habet momentum. in his enim Epistolis, ille idem est Ioannes Presbyter, qui & Apostolus & Euangelista. Vocat autem se Presbyterum, vel Seniore, ob notabilem ætatis diurnitatem. vixit enim, vt Hieronymus in libro de viris illustribus tradit, vsque ad sexagesimum octauum annu post passionem domini, & Ephesi longo senio confectus, postquã Asiã fundasset Ecclesias, mortuus est. Neque Hieronymi testimonium quicquam istis Epistolis officit, cum certu sit, eum non secundum propriam mentem, quam ipse locis superius à nobis adductis expressit, sed ex aliorum sententia loqui: quem modu ipsemet eo in loco testatur, prædictis verbis suis, hæc statim subnectes. *SVPER qua re cum per ordinem ad Papiam eius auditorem ventum fuerit, disse-remus.* in Papiã verò cum de duplici Ioanne loqueretur, subintulit: *Hoc autem diximus propter superiorem opinionem, quam à plerisque retulimus traditam, duas posteriores epistolas Ioannis, non Apostoli esse, sed Presbyteri.*

7. AD id verò, quod impij Anabaptistæ, ac Seruetani de verbis illis, quæ in quinto capite primæ Ioannis adiecta contendunt, respondeamus, ea verba apud Catholicos indubitatae semper veritatis fuisse, & in omnibus Græcis exemplaribus ab ipsis Apostolorum temporibus lecta: nec opus est quicquam de ipsorum perpetua integritate, sinceritateque dubitare, cum Iginus Papa primus, inducat ea aduersus Hæreticos, tanquam inuictum pro summa Trinitate testimonium. Sic enim in epistola ad omnes Christi fideles scribit: *Et iterum ipse Ioannes Euangelista ad Parthos scribens ait: Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt.* Quin & sancta mater Ecclesia testimonium istud quotannis per octauam Paschæ in sacris mysterijs, vt ex vera & germana eiusdem Euangelistæ Epistola decantat. Nec Hieronymus vsquam dixit, illud in codicibus Græcis Ecclesiæ Catholicæ defuisse, immo in Prologo Canonicarum ad Eustochium, conqueritur, hæc verba ab infidelibus, & Hæreticis translatoribus in Latinum versa non fuisse, cum passim in Græcis voluminibus legerentur. hæc enim sunt Hieronymi eo in Prologo verba: *QVÆ scilicet Epistola, si vt ab eis, hoc est, Græcis autoribus, digesta sunt, ita quoque ab interpretibus fideliter verterentur in Latinum eloquium, nec ambiguitatem legentibus facerent, nec sermonum sese varietas impugnaret, illo præcipue loco, ubi de unitate Trinitatis, in prima Ioannis epistola positu legimus, in quo etiam ab infidelibus translatoribus multum erratum esse à fidei veritate comperimus. trium tantu modo vocabula, hoc est Aqua Sanguinis, & Spiritus, in ipsa sua editione ponentibus, & Patris, Verbi que, ac Spiritus sancti, testimonium omittentibus, in quo maxime & fides Catholica roboratur, & Patris, & filij, & Spiritus sancti in una Diuinitatis substantia comprobatur. Hæc Hieronymus. Quod autem ex prima Erasmi*

A traductione addiunt, nihil nos mouet viri huius Authoritas, cuius non paucas sententias nuper catholica Ecclesia dānauit. cum ea verba in Græcis exemplaribus vt ostendimus, semper fuerint, & nunc quoque in nostris Græcis codicibus palam in hunc modu legantur, *τρεῖς εἰσι οἱ μαρτυροῦντες, ἐν τῷ οὐρανῷ, πατήρ, λόγος, καὶ πνεῦμα ἅγιον καὶ οἱ τρεῖς ἐν ἑστί.* Et ipsemet Erasmus in Annotationibus suis, fateatur, hæc eadem verba, haberi in peruetustis Græcis exemplaribus Britannia, Hispania, ac Rhodi.

8. DENIQUE de Iudæ Epistola nihil miru, si nonnulli Veterum de ea dubitarint, aut raro de ea testimonia protulerint, cum & ipsa de numero sit earu Scripturarū, quæ serò (vt iam diximus) in notitiam totius Ecclesiæ peruenerunt. Nec quicquam ex eius autoritate subtrahitur, quia Author ei' Apochrypha de Enoch libro citauerit, cum Paulus apostolus (vt Hieronymus prudenter obseruauit) non ex apochryphis solum, sed de gentiliu quoque poetarum libris testimonia in cōfirmationem doctrinæ suæ adduxerit: quale illud cum in Martis curia disputaret *τὸ γὰρ καὶ γένος ἐσμεν*, hoc est, *Ipsius enim & genus sumus.* & illud *φθέρουσι γὰρ ἡμῶν ἡμεῖς ἀμιλίαι ἠκακάι.* id est, *Corrumpunt bonos mores colloquia mala.* & illud ad Titu Creten-sibus scribens: *κρητεὺς αἰεὶ ψεύσας, καὶ ἀψήγλα γὰρ ὄφρυς ἀγρῶν.* id est, *Creten-ses semper mendaces mala bestia, ventre prigri.* quorum primum hemistichion testatur Hieronymus esse Arati poetæ in exordio τῶν φενομαίνων. secundum verò iambicum de Menandri comædia, & tertiu integrū ex lib. oraculorū Epimenidis Creten-sis, vel ex Callimacho Cyrenesi in his, quæ de Iouis laudibus cecinit. Neque ob id Paulus gentiliu testimonij vsus est, quasi illi ex libris sacris diuina testimonia deessent, sed vt gentiliu librorum studiosos etiam de propria suorum librorum lectione conuinceret. quod & Apostolorū Iudam scholastica quadam arte prudenter fecisse credendum, est, dum eos, ad quos scribebat, etiam ex his libris, qui apud illos auctoritatem habebant, productis testimonijs persuadere vellet. Neque idcirco sequitur, Iudam libros Enoch approbasse, quia de eis testimonia sumpserit, sicut nec Paulus Epimenidis, Menandri, & Arati libros comprobauit, cum de eis testimonia acciperet. vterque enim non totos, ac integros authorum illorum libros approbauit, sed ea sola testimonia ex libris illorum, cæteris, quæ in his legebantur omissis accepit. Vnde Hieronymus in commentarijs Epistolæ ad Titum confutans eos, qui Paulum propterea reprehendebant, quia contra Creten-ses: Epimenidis versiculo vsus esset, sic inquit *PVTANT quidam Apostolorum reprehendendum, quod imprudenter lapsus sit, dum falsos Doctores arguit, illorū versiculos cōprobauit. Quibus breuiter respondendum est, in eo quod ait: CORRUMPUNT bonos mores colloquia mala, & in illo. IPSIVS & genus sumus, nō statim totam Menandri comædiam, & Arati librum presentis loco, non totum opus Callimachi, siue Epimenidis, quorum alter laudes Iouis canit, alter De Oraculis scripsit, per unum versiculum comprobauit, sed Creten-ses tantu mendaces vitio gentis increpauit, non ob illam opinionem, qua sunt argu-*

Ecclesia dānauit nō paucas Erasmi sententias.

D. Paul. de Gentiliu poetarū lib. testimonia in doctrinæ suæ cōfirmationem attulit.

Act. 13. 1. Cor. 13. Tit. 1.

Hier. in 1. eō. ad Titum, & in epist. ad Magnum.

guti à Poëris, sed ob ingenitam mentien di facilitatem de proprio eos genis authore confutans. Qui autem putant totum librum debere sequi eum, qui libri usus sit versiculo, videntur mihi & Apocryphum Enochis, de quo Apostolus Iudas in Epistola sua testimonium posuit, inter Ecclesia Scripturas recipere. Hactenus Hieronymus. ex cuius verbis habetur, Iudam non ideo totum Enochii librum approbasse, quia testimonium illud in eo comprobauerit. & de Canonicis quidem epistolis hæc dicta sint,

Iudas non ap-
probavit to-
tum librum
Enochii.

DE APOCALYPSI IOANNIS Euangelistæ hæresis X.

A Pocalypsim, necesse Ioannis Apostoli, nec inter Canonicas Scripturas recipiendam.

ASSERTORES HUIUS HÆRESEOS.

cap. 60. cata-
logi li. 2. hæ-
50. in catal.
hæ. cap. 22.
hæ. 54.

VTRANQVE huius Hæreticæ assertionis partem, primi in Ecclesiam inuexerunt Alogi, siue, Alogiani, de quibus cum de Euangelio Ioannis ageremus, iterum meminimus. hi (quemadmodum Epiphanius, Philastrius, & Augustinus referunt) librum hunc arbitrantur à Cerintho hæresiarcha Apostolorum aduersario confictum, & innumeris figmentis, ac præstigijs refertum, quorum blasphemix astipulatur Theodorus Byzantius, Theodocianorum princeps, aduersus quem Epiphanius libro secundo scribit. Lutherus verò, & sui coniurati, quanquam aperte non audeant contra vniuersalem Ecclesiæ Catholicæ assertionem, hunc librum per se ipsos damnare, illum tamen callidè sub aliorum persona vituperant, & multis rationibus quas indissolutas relinquunt, labefactare conantur, dicentes, eum ab eruditissimis, & grauissimis olim viris explosum, ceu fabulosæ, & confictæ rei narrationem, cui nihil inesset Apostolici pectoris. Ambigunt autem & de libri Authore, an is fuerit Ioannes quidam Præbyter, Ephesi sepultus, an alius quispiam. nam Ioannis Apostoli opus non esse, aiunt se pro comperto habere.

IMPUGNATIO.

ADVERSVS istorum temerarium errorem pugnant, vetustissimorum Patrum testimonia, Conciliorum determinationes, ac totius Catholicæ Ecclesiæ autoritas. In primis verò Dionysius Areopagita, Pauli discipulus, hunc librum esse Ioannis Apostoli, & Euangelistæ, primus ostendit. Is enim in libro de Ecclesiastica Hierarchia ponens vniuersam Scripturæ sanctæ partitionem, de Apocalypsi, hæc fatur. **S**I VE arcanam illam, ac mysticam omnino visionem dilecti Discipuli, diuinamque Domini Iesu, & altissimam Theologiam eis, qui dy fieri merentur exponit, eosque per mysteria sacra & diuina sustollit, atque confirmat. Quibus sanè verbis, Dionysius, sanctam Ioannis Apocalypsim clarissimè designauit. Sed quia Lutherus cum Academicis suis, omnia in dubium reuocantibus, Dionysij testimonium contemnunt, dicentes, eum non

cap. 3. par. 3.

A esse Dionysium illum Areopagitam Pauli discipulum, quòd is nulla volumina scripserit, sed nouum quendam, ac supposititium Dionysium, à græculo quopiam paulo ante quingentos annos emissum in lucem, & ementito Areopagitæ cognomine adornatum, sciat se multorum veterum Scriptorum testimonio refelli, ac multorum insuper Cõciliorum autoritate damnari. Gregorius namque Magnus in homilia de centum quibus, & Agatho Papa in epistola ad sextam Synodum, ipsaque sexta Synodus, & Martinus Papa in synodo Romæ celebrata, Ioannes item Damascenus in libris de fide orthodoxa, & aduersus Inconomastichos, Dionysij Areopagitæ, & eius librorum mentionem faciunt, & ex ipsis tanquam ex autoritate sanctissimi viri ecclesiastica dogmata comprobant. Post Dionysium verò Iustinus philosophus, & martyr, Apocalypsim Ioannis Apostoli esse non solum testatus est, sed eam quoque (vt Eusebius in Chronicis, & Hieron. in Libro de Viris illustribus testes sunt) luculentissima expositione profecutus est. Irenæus quoque in quinto aduersus Hæreses libro, Apocalypsim à Ioanne Euangelista scriptam, prope finem Domitiani Cæsaris testatum reliquit, & in eam commentaria edidit. Theophilus item Antiochiæ Episcopus, vt

Authores qui
meminerunt
Dionysij A-
reopagite.

Iustinus mar-
tyr scripsit
commentaria
in Apocaly-
psin.
cap. 8.
lib. 4. c. 54.

Eusebius scribit, testimonijs huius libri tanquam de Scripturis Canonicis contra Hermogenis hæresim vsus est: & Melito Asianus, Sardensis Ecclesiæ episcopus, cõmentaria in hunc librum tanquam in Canonicum opus composuit. Concilium quoque Ancyranum sub Diocletiano Augusto celebratum, huius libri sententijs vtitur ad dogmatum confirmationem sub nomine Ioannis Apostoli, quem etiam libri huius asserit Authorem. sic enim in sexto

Eus. lib. 4.
cap. 25.

Eusebij volumine loquitur: *Ioannes Apostolus, Apocalypsis sacramentum in spiritu, non in corpore vidit, sicut ipse dicit: E VI in spiritu in Dominico die &c.* Dionysius etiam, & Corinthiorum Ecclesiæ Pontifex, inter ecclesiasticos Scriptores nobilis, apud eundem Eusebium de Ioannis Apocalypsi hunc in modum fatur: *E GO verò quantum ad meam sententiam pertinet, spernere, aut abijcere, Scripturam libri huius nullatenus audeo, maxime cum multi ex fratribus ita mecum sentiant, sed hoc magis de eo iudico, quòd excedant, atque emineant, que in eo scripta sunt humane auditionis modum, & sit in eo arcanus quidam, ac reconditus, atque admirabilis sensus, quem & ego admiror, ac veneror, etiam si non intelligo, & ita sentio, quòd diuina aliqua sacramenta sermonibus contegantur humanis, non tam iudicio meo discernens, quam fide credens, & ita non reprobo, que non intelligo, sed tanto magis*

cap. 7.

lib. 7. hist.
eccl. cap. 23.

E admiror, quanto minus assequor. Sed & Ioannes Damascenus libro quarto de Fide, postquam Catalogum diuinorum Voluminum contexit, vltimum in eo, librum Apocalypsis sub nomine Ioannis euangelistæ collocavit. Hieronymus autem in libro de Viris illustribus de Apocalypsi hæc habet: *Quartodecimo igitur anno secundam post Neronem persecutionem mouente Domitiano, Ioannes in Pathmon insulam relegatus, scripsit Apocalypsim quam interpretatur Iustinus Martyr, & Irenæus. Et in epistola ad Pauli-*

cap. 18.

Num

num idem huius libri encomium texens: *Apocalypsis*, (inquit) *Ioannis*, tot habet sacramenta, quot verba. parum dixi: pro merito voluminis laus omnis inferior est. in verbis singulis multiplices latent intelligentie. Diuus quoque Augustinus tractatu trigesimo sexto in Ioannem, dicit, *Apocalypsim*, eiusdem esse Ioannis, cuius est Euangelium, Et in libro De sancta virginitate asserit *Apocalypsim* eius esse Discipuli prædilecti, qui supra pectus domini in cœna recubuit. & in libro De doctrina Christiana secundo, numerat eam inter Canonicos libros, in quam etiam Annotationes particulari volumine edidit, Prætereo Ticonij Afri testimonium de *Apocalypsi*, & eius in eam commentaria, quæ se Gennadius in Catalogo, legisse scribit, itemque Epiphaniij, & Isidori contestationem libro sexto Etymologiarum. Ambrosij quoque, ac diui Gregorij, Bedæ, Haymonis, & aliorum sine numero Scriptorum. Taceo etiam Synodi Toletanæ quartæ, & aliorum Conciliorum pro huius libri veneranda autoritate decreta, animaduertens, me longe plura quam oportuerit testimonia produxisse. sed ita me facere coëgit temeraria Nouatorum assertio, qui librum hunc à vetustis Patribus, ac præsertim Græcis vix agnatum prædicent. Voluimus itaque ostendere, eum per cunctas Patrum successiones ab ipso statim nascentis Ecclesiæ primordio vsque ad nostra tempora, fuisse semper tanquam verum, ac legitimum Ioannis, Apostoli, & Euangelistæ, opus, in numero sacrorum Voluminum receptum.

OBIECTIONES HÆRETICORVM.

1. PRINCIPIO etiam atque etiam constat, *Apocalypsim* non esse Ioannis Apostoli ex operis inscriptione, quæ in omnibus Græcis codicibus habetur, ἀποκάλυψις τῆς ἀγίας δωάνης τῆς θεολογίας, id est, *Reuelatio Beati Ioannis Theologi*, hunc autem Theologum longè alium fuisse à Ioanne Euangelista, Papias Ioannis auditor testatus est, scribens in libris, quos VERBORVM DOMINICORVM attitulauit, duos fuisse Ioannes, alterum apostolorum, alterum verò extra Apostolorum numerum, quem distinctione quadam facta, Ioannem Presbyterum appellauit, & cum Aristone quodam sociauit. Ex quibus verbis cum Eusebius Cæsariensis libro tertio Historiæ Ecclesiast. cap. 38. incidisset in suspicionem ane Ioannes Euangelista esset *Apocalypsis* Author, dixit: PER hæc comprobatur, verum esse illud, quod quidam Asiatici scribunt, quòd duo sunt apud Ephesum sepulchra, & utrumque Ioannis appellatur, quibus si diligentibus intendamus, fortassis secundus hic erit Ioannes, si ille non creditur primus sub cuius nomine *Reuelatio* habetur, quæ appellatur *Ioannis*. Verum, quòd Eusebius de Authore huius libri sub dubio protulit, Dionysius Alexandrinus Episcopus, testante Eusebio in septimo Historiæ, clarissimè expressit, non solum *Apocalypsim* Ioannis Euangelistæ non esse affirmans, sed id quoque rationibus adhibitis ostendens, videlicet.

2. Ex ipso Scripturæ stylo, tum quia vtrius-

que Voluminis, Euangelij scilicet Ioannis, & *Apocalypseos* phrasis ac dicendi modus sit diuersus, tum quia Ioannes, qui Euangelium scripsit, nusquam in Euangelio suo, nominis sui mentionem fecerit, ac sese signauerit nominatim: hic autem, qui *Apocalypsim* scripsit, tertio fermè verbo nominis sui mentionem facit, illud sæpe repetens: EGO IOANNES: EGO IOANNES. quasi non librum, sed nobis syngrapham scriberet, præter morem aliorum Apostolorum, ac suum, qui in Euangelio nomen subticens, autorem tantum indicat dicens: Hic est Discipulus ille, quem diligebat Iesus, &c.

3. DEINDE illi ipsi Ecclesiastici Scriptores qui *Apocalypsim* Ioanni Apostolo adscribunt, aded inter se de loco, ac tempore, in quo, & quando eam Ioannes scripserit, diffident, vt euidenter appareat, Ioannem Apostolum non potuisse eius esse autorem. nam Irenæus in fine quinti libri memoriæ prodidit, *Apocalypsim* scriptam sub exitum Imperij Domitiani. Cui consentiens Eusebius in chronicis, & Hieronymus in libro de Viris illustribus, asserunt, eam in insula Pathmo quarto decimo Domitiani anno à Ioanne scriptam, Epiphanius verò Salaminæ Episcopus, Arethas, & Andreas Cappadociæ Episcopi, ac plerique alij Græcorum sub Claudio Nerone quadraginta fermè annis antea editam tradunt. Dorotheus autem Episcopus Tyrius memoriæ prodidit Euangelium à Ioanne scriptum in Pathmo, *Apocalypsim* verò nequaquam. sed & ipse Author in ipso libri initio, tempus suæ visionis enarrans, dicit se Reuelationem suam audisse in die sancto Dominicæ: Ego (inquiens) Ioannes fui in spiritu in die Dominica. sed certissimum est, tempore Ioannis Euangelistæ nondum institutionem, & appellationem Dominicæ diei fuisse, quæ multo post à Patribus statuta est. Quare cum de Authore, Loco, & Tempore huius Reuelationis nihil certum habeatur, restat, non posse à nobis pro comperito affirmari *Apocalypsim* esse Ioannis Apostoli, & Euangelistæ. His atque eiusmodi innituntur hi, qui librum hunc esse negant Ioannis Euangelistæ.

4. QUI verò hoc ipsum volumen de Canone abijciunt, idque Cerintho Hæretico adscribunt, ceu Alogiani, hi sumpta occasione ab his, quæ in hac Reuelatione tractantur, his armis vt Dionysius, & Epiphanius recitant, contra ipsum sese armant, dicentes. Primum, nihil esse in eo Ioannis sanctitati, maiestati- que conueniens, sed omnia vana, ac prope ridicula, nullius vtilitatis, ac fructus. Quæ enim nobis inquiunt, ex hac *Apocalypsi* vtilitas, quæ nihil nos docet præter inania quædam de septem Stellis, septem Angelis, septem Cculis, septem Candelabris, septem Tubis, septem Phialis, septem Egillis, & huiusmodi friuolis rebus, quæ cum crasso quodam ignorantia velamine sub inuolucris visionum ac somniorum ænigmatibus contegantur, non Reuelationis, sed velationis & obuolutionis potius nomine digna sunt.

5. His adde, quòd in nonnullis etiam

E e manife

Apoc. 1. b.

Lib. 2. lib. 1. her.

Apoc. 1. b.

Epiph. lib. 2. her. 51.

Apoc. 2. e.

Cap. 27. Cap. 8.

Lib. 2. her. 51. cap. 2.

Eus. lib. hist. cap. 38.

Lib. hist. 71. cap. 23.

manifestè deprehenditur mendax, scribès his, quæ nusquam sunt, aut fuerunt Ecclesijs, dicens: *ET Angelo Ecclesia, quæ est in Thyatiris scribe: Hæc dicit Iesus Dei, qui habet oculos, &c.* verum in Chyativa, quæ vrbs est in Mysia, ad sinistram Caycis fluminis partem, nulla vnquam fuit tempore Ioannis Ecclesia Christianorum, quomodo igitur ei scribit, quæ nusquam est?

Apoc. 21. 6. **P**RÆTER hæc autem hæretica Cerinthi dogmata continet, videlicet. instaurationem terreni regni in Ierusalem, & Templi, & Iudaicarum festiuitatem, cum ait: *Vidi ciuitatem sanctam Ierusalem, nouam, descendentem de cælo, à Deo paratam sicut sponsam ornatam viro suo: & audiui vocem: ecce tabernaculum Dei cum homini-*

Ibidem. *bus, & habitabit cum eis. & paulo post: ET reges terra afferent gloriam suam in illam, & ambulabunt gentes in lumine eius, & porte eius non claudentur*

Apoc. 21. *per idem.* Item ciborum satietatem, & poculorum abundantiam, cum dicit: *NON esuriunt, neque sitient amplius, & deducet eos ad fontes aquarum. & iterum: VINCENTI dabo edere de ligno vite, quod est in paradiso Dei mei, & dabo ei manna absconditum. & rursus futuras nuptias, & coniugij libidines, cæterasque carnis illecebras,*

Apoc. 19. *inquiens: GAUDEAMUS, & letemur, quia uenerunt nuptie Agni, & uxor eius preparauit se. Beati qui ad cenam nuptiarum Agni vocati sunt. & deinde post hæc, tempus regni Christi, & sanctorum iuxta χιλιετών hæresim per mille annorum spacium in terris duraturum designat,*

Apoc. 20. *dum ait: ET vidi animas decollatorum propter testimonium Iesu, & vixerunt, & regnauerunt cum Christo mille annis. ceteri uero mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni. hæc est resurrectio prima. Beatus qui habet partem in resurrectione prima, in his secunda mors non habet potestatem, sed erunt sacerdotes Dei, & Christi: & regnabunt cum illo mille annis. Quæ omnia Cerinthus, carnis ac libidinum amicissimus, pro sui ingenij lasciuia dictauit. Vtque ea Apostolici nominis auctoritate firmaret, sub Ioannis titulo euulgauit. Hæc Alogiani apud Epiphaniū, ac Dionysiu.*

Cap. 28. 7. **L**VTHERANI uero, his Alogianorum argumentis superaddunt, Eusebium in tertio Historiæ volumine referre, quod Caius antiquissimus ac celebratissimus Ecclesiæ Catholice scriptor, in Dialogo suarum disputationum scripserit, Cerinthum Hæreticum huius Apocalypseos librū sub nomine Ioannis composuisse, ut Apostolici nominis auctoritate, terram Christi regnum, per mille annos permanfurum, firmaret. Ad quod & aliud addunt huic operi incommodum, quod nulla Græcarum Ecclesiarum, illud in Canone sacrorum Voluminum recipiat, sicut Hieronymus ad Dardanum inquit: *NEC Græcorum quidem Ecclesia Apocalypsim Ioannis eadem libertate suscipiunt. Sed neque Anastasius Græcus author, neque Concilium Laodicenum Apocalypsim in catalogo diuinarum Literarum enumerant.*

DISSOLVTIO OBIECTORVM.

QUAM leuibus de causis hæretici hi, sanctam Apocalypsim abiiciant, ostendit in primis leuissima illa coniectura, quam de libri

incriptione producant: nescientes **B.** Ioannem Theologum eundem esse, qui & Apostolus, & Euangelista fuerit. qui ob sublimitatem Euangelij sui, in quo altissima de Verbi Diuinitate attigit, & sese cæteris Euangelistis altius extulit, Theologi nomine celebratus est à veteribus scriptoribus, Dionysio præsertim Areopagita, cuius adhuc extat Epistola numero decima his verbis prænotata: **I**OANNI THEOLOGO, APOSTOLO, ET EVANGELISTÆ, IN PATHMO IN SVLA RELEGATO, in qua ipse Dionysius de Ioannis Euangelistæ Theologia loquens, hæc verba inserit: *Nos autem nulla procella, nulla aduersitas priuabit Ioannis clarissimo radio, id quidem consecuturos memoria, ac renouatione tua verissima Theologia &c.* Ita pariter inualida cōiectura est, quam trahunt de suspitione Eusebij, & testimonio Dionysij Alexandrini perperam intellectis, Eusebius enim in Chronicis suis, & in plerisque Historiæ Ecclesiasticæ capitulis, adeo apertè Apocalypsim Ioannis Apostoli esse fatetur, ut sese facillè ab hac suspitione liberet, ac se ex aliorum sententia ea verba protulisse ostendat. Dionysius autem non negat, Apocalypsim esse Ioannis Apostoli, sed hoc tantum ait, scire se Autorem Apocalypsis vocari Ioannem, eamque per Spiritum sanctum scriptam esse, sed hoc non liquidè sibi cōstare, an Ioannis apostoli sit ob styli diuersitatem, & crebram proprii nominis repetitionem. Cuius etsi olim qualiscunque fuerit dubitatio, ante factum de ea in Ecclesia decretum, nos post tam longam Ecclesiæ, Patrumque approbationem, de illa amplius ambigere non possumus.

2. **D**E styli autem diuersitate, quam in omnibus penè Scripturæ libris Nouatores ij semper inculcant ac repetunt, respondemus, imbecillā esse styli cōiecturam, quippe quem oporteat pro argumenti diuersitate variari. quare cum in Euangelio Ioannis, & Apocalypsi diuersum sit argumentum, non esset magnopere mirandum, si Ioannes in utroque diuersum dicendi genus seruasset. quanquam nec utriusque voluminis character admodum discrepet: ambo enim communi Græcorum dialecto, & iisdem Hebraicæ linguæ phrasibus & idiotismis scripta sunt. Quod si in Apocalypsi frequētem nominis sui mentionem facit, cuius nunquam in Euangelio suo meminerat, nihil mirum. in Euangelio enim alienam videlicet Iesu Christi scribebat historiam, unde se ipsum nominare non opus erat. In Apocalypsi uero de se ipso scribebat Reuelationes, ac visiones sibi enarratas, in quibus nomen suum frequenter interponere non erat omnino præter rem.

3. **N**EC minus infirmum est argumentum, quod ex controuersia Patrum de Tempore, & Loco inter se dissonantium adducunt. Non enim sequitur quin Ilias Homeri ab Homero ipso edita sit, quia de tempore, ac loco in quo Homerus scripserit, itemque de Homeri patria, semper inter expositores eius certatum fuerit, adhuc lite sub iudice pendente. Quamobrem etiam si Patrum sententiæ de loco, & tempore Scripturæ differant, non propterea

Ioan. euangelista a veteribus cur sit appellatus Theologus.

Ioan. euangelista cur in Apoc. frequenter, in euang. nunquam proprio nomine se nominarit.

pterea de Scriptura dubitandum esset. Quam-
 tō igitur minus nunc ambigendum est, cum
 prædictæ Patrum sententiæ diligenter consi-
 deratæ, nihil inter se differant? Dorotheus ete-
 nim nō negat Apocalypsin scriptā in Pathmo,
 sed tacet, ac sub silentio præterit. quod si ex
 eius silentio concludere velint, Apocalypsin
 non esse Ioannis Apostoli, eadem ratione o-
 portebit eos concludere, primam Ioannis A-
 postoli Epistolā eius non esse, quia illius Do-
 rothæus iste non meminerit. Cæterum quod
 de die Dominico nondum tempore Ioannis
 instituto obijciunt, falsissimum est, reclaman-
 te totius Ecclesiæ consensu, quæ dominicæ
 diei solennitatem ab ipsis Apostolis in me-
 moriam dominicæ resurrectionis conditam
 credit. de cuius etiam ab Apostolis institutio-
 ne, August. ser. 25. de tempore his verbis testa-
 tur. **DOMINICVM** ergo diem ipsi Apostoli, &
 Apostolici viri, ideo religiosa solennitate habendum
 sanxerunt, quia in eo redemptor noster à mortuis re-
 surrexit. Nec illud Apocalypsis derogat auto-
 ritati, quod vsque ad tempora Eusebij in Ec-
 clesia de Autore, & autoritate eius disputatum
 sit: quinimmo id ei multò maiorem præstat fi-
 dem. Cùm enim Ioannes nouum scribendi
 genus exorsus esset, resque futuras scriberet,
 non gestas, vt alij scriptores noui Testamenti
 fecerant, rei nouitas admirationis, & ambi-
 guitatis ansam præstitit primis illis Patribus,
 eaque dubitatio cessit ad maiorem operis fi-
 dem, quia non nisi re diligenter exacta, ac dis-
 cussa, liber hic ab eis in sacrorum Voluminum
 ordinem receptus est. Quare etsi de eo ali-
 quando dubitatum sit, nunc debet nunc mi-
 noris esse autoritatis quàm cæteri Libri sacri,
 cum Ecclesia pari eum cum alijs veneratione
 in Canonē receperit. Et hæc ad eos, qui Ioan-
 nem Apostolum negāt Apocalypsis autorem.

4. **RESTAT** nunc vt calumnias confute-
 mus eorum, qui Apocalypsin ceu inutilem,
 ac perniciosam, & Cerinthi dogmatibus ple-
 nam accusant, vituperantes ea, quæ de septem
 Tubis, Candelabris, & Angelis in ea, quæ ob-
 scurè narrantur, quasi Iudaicè, hoc est carnali-
 ter, & iuxta mortuam Literam (vt ipsi præuè
 existimant) intelligenda sint, & non magis
 Apoc. I. spiritualiter & mystice, iuxta Autoris men-
 tem: qui in principio narrationis suæ docet, se
 non carnaliter, & corporaliter vidisse, quæ
 scripsit, sed spiritualiter, cùm in spiritu ra-
 ptus esset in die dominica, & diuino spiritu
 permonstrante, non corporis, sed mentis ocu-
 lis intellectualium visionum sacramenta con-
 spexisset. Sacramenta enim, hoc est, sacra se-
 creta, ipsemet ibidem suas visiones appellat:
 vt ex hoc sciamus, quòd quemadmodum in om-
 nibus sacramentis, aliud extrinsecus vide-
 tur, & auditur, aliud verò intrinsecus per al-
 legoriam spiritualiter intelligitur, ita in vi-
 sionibus eius aliud repræsentatur exterius,
 aliud inuenitur, & detegitur interius: ita vt
 per septem Candelabra aurea, septem Eccle-
 sias ardentes charitate diuina, & illuminatas
 sapientia diuini luminis, ad quas Ioannes scri-
 bit, intelligamus. & per septem Stellas, & se-
 ptem Angelos, septem Ecclesiarum rectores,

A & Episcopos vt ipsemet Ioannes exponit, qui
 alij lucere debeant, splendore doctrinæ, & o-
 peris, per septem Oculos Agni, septem dona
 Sancti Spiritus, quibus Agnus ille Christus
 tanquam septem clarissimis radijs tenebras a-
 nimarum nostrarum irradiat. per septem Si-
 gilla, septem Reuelationes rerum, per septem
 futura tempora in Ecclesia gerendarum, vs-
 que adeò in libro diuinæ mentis sigillatas &
 clausas, vt nisi Agnus librum suorum arcano-
 rum aperuisset, nos, nec eas vnquam legere,
 nec intelligere potuissemus. per septem Tu-
 bas, septem prædicantium, ac docentium or-
 dines, qui per septem ventura tempora, vsque
 ad seculi consummationem erant sibi inuicem
 successuri, ad detegendas, Euangelicæ vocis
 sono, Hæreticorum insidias, & deterrendas
 diuini Verbi clangore rebelles tyrannorum
 mentes, & ad excitandum fidelium animos, vt
 hostium sustinerent impetus, & aduersus eo-
 rum conatus acriter dimicarent, per septem
 verò Phialas, septem plagas & septem tribu-
 lationes, quas Ecclesia per septem sibi succe-
 dentes ætates vsque in finem præsentis sæculi
 passura erat. Quæ quidem vniuersa, ac singu-
 la, non frustra, & sine vllò Ecclesiæ emolu-
 mento (vt hæretici calumniantur) à Ioanne
 Apostolo scripta sunt, sed ad perpetuam fide-
 lium consolationem, & fidei Christianæ sta-
 bilitatem. voluit enim Apostolus memoriæ ad
 posteros mandare, quæ sibi Deus reuelauit
 de futuris Ecclesiæ tribulationibus, ac perse-
 cutionibus: ne fideles improviso rerum ad-
 uentu perterriti, scandalum paterentur, & à
 fide Christi recederent, existimantes Eccle-
 siam Christianorum tantis cladibus oppres-
 sam, Deo curæ non esse, eamque desperatis in
 totum rebus, ad vltimum exitium deuolui.
 Huic igitur fidelium scandalo Ioannes occur-
 rens, calamitates, & ærumnas Ecclesiæ vsque
 ad finem mundi imminentes propheticè præ-
 dixit: vt cùm plenitudo temporis illarum ad-
 uenerit, electi Dei, iam ex eius Scriptura præ-
 moniti, non turbentur, aut quicquam hæsi-
 tent: sed in fide firmiores, ac stabiliiores perse-
 uerent, videntes tunc ea in Ecclesia compleri,
 quæ longè antequam euenirent, Spiritus san-
 ctus per os Apostoli sui prædixerat: & in spe
 in dies, & paciētia robustiores euaderent, spe-
 rantes iterum post modicum. & breuem Ec-
 clesiæ laborem, promissam laborantibus re-
 quietem, certantibus victoriam, victoribus pal-
 mam, & palmam adeptis æternæ fœlicitatis
 coronam. Et hæc est admiranda huius libri v-
 tilitas, vt nos in eo denunciata supplicia ter-
 reant, & præmia promissa latificent. Scripsit
 tamen Ioannes ea obscurè, & inuolutè, ne
 Scripturæ suæ prophetia vilesceret, & ne pa-
 teret hæreticis latrunculis eam peruertendi
 locus. Vocauit autem illam decentissimo no-
 mine *Apocalypsim*, eo, quòd omnia hoc in li-
 bro contenta sibi reuelata, ac manifestata fue-
 rint, & ipse etiam ex eis nonnulla nobis reue-
 lauerit. Vnde frustra Hæretici criminantur,
 potius eam inuolutionem quàm Reuelatio-
 nem debuisse inscribi.

5. **VERVM**, quod de Ecclesia, quam in
 Thyatira

*D. Ioan. cur
 Apocalypsin
 scripserit ob-
 scurè.*

*Apocalypsis
 cur appelle-
 tur liber D.
 Ioannis.*

*Libr. 2. here,
 51.*

D. Ioan. scripsit ad futuram ecclesiam Thyatiram. Apoc. 1.

Thyatira Ioannis tempore minimè fuisse reprehendunt, respondet Epiphanius, Ioannem spiritu prophetico, non ad eam quæ tunc non erat, sed ad eam, quæ postea ibi futura erat, Ecclesiam scripsisse, denunciaſſeque ei, quomodo erratura erat, decepta à falſis Phrygaſtarum prophetiſſis, Priscilla videlicet, Maximilla, & Quintilla, quas sub nomine Iezabelis prophetiſſæ ſeducentis ſervos Chriſti designavit. Hanc autem Ecclesiam temporibus ſuis ab omni Phrygaſtarum hæreſi repurgatam fuiſſe, idem Epiphanius ſcribit.

6. A dea demum, in quibus de dogmatibus Cerinthi hunc librum accuſant, grauitè errant, ignorantes ea quæ de inſtauratione Ierusalem, & de nuptijs Agni, & de famis, ac ſitis ſatietate in hoc lib. referuntur, non corporaliter, & carnaliter intelligi de Iudaica illa corruptibili Ierusalem, ſed de cœleſti, ac ſempiterna Ierusalem, hoc eſt: de Eccleſia ſponſa Chriſti, quam Ioannes ornamentis immortalitatis, & impaſſibilitatis, cæterisque diuinis dotibus exornatam, vnà cum ſponſo ſuo Chriſto in ſempiterna felicitate poſt iudicium futuram vidit. non tamen prius, quàm fieret Reſurrectio illa prima, quæ non corporalis, ſed ſpiritualis eſt, animæ videlicet à peccatis, & hanc quidem Reſurrectionem primam appellauit, ad differentiam ſecundæ generalis reſurrectionis, in qua omnes animæ cum corporibus reſurgent, ſicut per ſecundam mortem, animæ, & corporis perpetuam damnationem intellexit, per mille verò eius reſurrectionis annos, ſpacium inter ſeptimam eccleſiæ tribulationem uſque ad Antichriſti aduentum deſignauit, ita, vt numerum determinatum (quod in diuinis literis frequentiffimum eſt) pro indeterminato annorum numero ſumpſerit.

Apoc. 21. Reſurrectio prima eſt animæ à peccatis.

Mors ſecunda eſt damnatio animæ & corporis.

Apoc. 21.

Quòd autem de cœleſti & ſpirituale Ierusalem, & non de terrena ſcripſerit Ioannes, ipſemet aperit, cum addit, non vidiffè ſe in ea Templum quia Dominus Deus omnipotens, & agnus Templum illius erat, neque Solem, neque Lunam, quæ in ea lucerent: quia claritas Dei illuminaret eam, & lucerna eius eſſet Agnus de cuius & Eccleſiæ glorioſa coniun-

ctione, in æterna beatitudine, latantur ſancti illi dicentes: GAUDEAMVS & lætemur, quia uenerunt nuptiæ agni: in quibus ſcilicet iuncta eſt Eccleſia Chriſto, quæ cū prius militando ſponſa Chriſti fuiſſet in ſpectum demum triumphando facta eſt ſponſa Chriſti in re. cuius ſponſa veſtes, & myſtica ornamenta ſunt iuſtificationes (vt ait Ioannes) & merita ſanctorum. Nuptiæ verò, ad quas inuitati ſunt ſancti, non corporeis epulis, cæterisque, gulæ, & carnis illecebris explentur, ſed manna abſcondito, hoc eſt, præſentia Diuinitatis Chriſti, quæ verum eſt manna, & ligno vitæ, hoc eſt præſentia glorioſæ humanitatis Chriſti, in quarum rerum conſpectu finis aderit omnium noſtrorum deſideriorum, nec ultra erit in nobis gemitus aut fletus, ſed perpetua, ſtabilisque tum animæ, tum corporis beatitudo in ſempiternum duratura.

7. IAM verò quod Lutherani de Caij verbis inducunt, futile admodum eſt. nam neque id ex Caij verbis deduci poteſt, neque id Eusebius affirmat, neque Caij ſententia ab Eusebio recitata quicquam tale commemorat, ſed hoc ſolummodo indicat, quòd Cerinthus hæreſim ſuam introduxerat per reuelationes quaſdam, tanquam ab Apoſtolo magno conſcriptas. quæ verba non aſſerunt Cerinthum autorem fuiſſe illarum Reuelationum, ſed quòd ex Reuelationibus illis Apoſtoli magni, præuè intellectis, falſitatem ſui dogmatis introduxit, quemadmodum Dionyſij Corinthiorum Episcopi verba ſtatim poſt hæc ab Eusebio inducta luce clariùs oſtendunt, & Dionyſius apud eundem Eusebium latius enarrat. De Anaſtaſij verò, & Laodicensi Concilij Catalogis, in quibus Apocalypſis non recenſetur, mirandum nihil eſt, cū temporibus illis nondum quicquam de eius autoritate Catholica Eccleſia ſtatuiffet, ſicut poſtea decreuit eam in ſanctorum voluminum Canone recipendam. Deſinant igitur omnes Hæretici ſanctam Ioannis Apocalypſim maledictis inceſſere, & ſe ex his, quæ à nobis Deo auxiliante dicta ſunt, ſuperatos agnoſcant.

C

D

Septimi Libri Finis.

Lib. 7. hiſt.

F. SIXTI SENENSIS, EX ORDINE PRÆ- DICATORVM,

*De his, qui veteris Testamenti volumina oppugnarunt, siue aduersus
veteris Scripturæ destructores.*

BIBLIOTHECÆ SANCTÆ,
LIBER OCTAVVS.

PRÆFATIO.



*D*estruimus in precedenti septimo volumine omnes Hæreses, quæ aduersus Euangelicas, & Apostolicas noui Testamenti Scripturas in hæc vsque tempora exorta sunt: nunc disputatiuis ordine deducente, huic operi subnectimus librum Octauum atque postremum, prosequentes in ipso enarrationem & confutationem earum Hæreseon, quæ aduersus Mosaicos, Propheticos, Paræneticos, & Historicos Veteris Instrumenti libros, varij sub diuersis temporibus hæretici excitarunt. Quibus diuino fauente numine expletis, optatum finem totius nostri operis labor inueniet.

HÆRESEON QUÆ IN HOC

octauo Libro confutantur
catalogus.

De Testamento veteri in vniuersali Hæresis 1.	
De Veteri Testamento.	Hær. 2.
De libris legis Mosaicæ.	Hær. 3.
De libris Prophetis.	Hær. 4.
De libro Psalmodum.	Hær. 5.
De libro Danielis.	Hær. 6.
De ecclesiaste.	Hær. 7.
De Cantico Canticorum.	Hær. 8.
De Sapientia & Ecclesiastico.	Hær. 9.
De libro Iob.	Hær. 10.
De libris Esdræ, Tobie, Iudith, & Hester.	Hær. 11.
De libris Macchabæorum.	Hær. 12.
De Translationibus diuinæ Scripturæ.	Hær. 13.

DE VETERI TESTA- mento in vniuersali.

HÆRESIS I.

*V*etus omne Testamentum pro solis Iudæis, à malo Iudæorum Deo conditum, & à sectatoribus eius, consuetis narrationibus auctum, Christianæ verò fidei nulla ex parte proficuum, bonis quoque moribus noxium, & Euangelica doctrina contrarium, abjicere.

ASSERTORES HVIVS

HÆRESEOS.

P R I M I huius prodigiosa, & abominandæ Hæreseos autores fuere quicumque duos in-

A troduxerunt Deos, vnum videlicet Hebræorum, malum, ac falsum: alterum verò Christianorum Deum, Patrem Domini nostri Iesu Christi, bonum, ac verum: quorum princeps (Epiphonio teste) fuit Simon Magus Samaritæ, primus à Christi ascensione hæreticus, qui vetus Testamentum, Legem scilicet, ac Prophetas à sinistra virtute, & malis Angelis editum docuit. cui in eodem errore successerunt Basilides, Carpocras, Valentini, qui & Gnostici, Ptolemeitæ, Heracleonitæ, Caiani, Archontici, Cerdoniani, Marcionitæ, Apelleiani, & Seueriani, qui eodem assensu vetus Testamentum, vel ex integro, vel ex parte abiecerunt. post alios, Aureliani Augustini temporibus, Cubricus quidam Persa cognomento Manes, hanc Hæresim aliquantulum sopitam, ad eum extulit, vt fermè eius nomen apud eum remanserit. deinde discipuli eius, qui præceptorem suum honoris gratia MANICHÆVM, hoc est, manna effusorem appellarunt, emissis perniciosis eiusdem erroris libris Hæresim iam celebrem, latius toto orbe inuulgauerunt. ex horum numero magis excelluerunt. Addas quidam cognomine Adimantus, Manichæi adhuc viuentis discipulus, & multis post eum annis Faustus Afer, patria Mileuitanus, & innominatus quidam Fabritij discipulus, multò Manichæis deterior, quorum adhuc voluminum fragmenta in libris Augustini inter Manichæorum confutationes seruantur. Fuerunt etiam, vt Augustinus refert, nonnulli hæretici Patritiani, à Patritio quodam appellati, qui eidem Hæresi subscripserunt. Post quos multis annorum sæculis Bogomilæ Bul-

Simon Magus a Christi Ascensione fuit primus hæreticus.

Epiph. in Anacephaleosi.

Hier. in præfat. ad Titum.

Aug. in catalogo hære. & lib. 2. cõ adu. leg. cap. 12.

Epiph. lib. 2. hære. 66.

Manichæus, id est manna effusor.

Augu. lib. 2. cõ adu. legis. & pro ca. 12.

Euthy. lib. 2. panoplia 111. 23.

garicæ nationis Hæretici, ac demum Albanenses hunc ipsum errorem, tam longa temporum diuturnitate sepultum, iterum in lucem reuocarunt. Atque hi sunt, qui omne vetus Testamentum ex integro reiiciendum putarunt.

IMPUGNATIO.

QVINQUE detestandas, ac blasphemias propositiones præsens Hæreticorum assertio complectitur, quas per ordinem quanta fieri poterit breuitate destruere conabimur.

Propositio prima.

PRIMA propositio est: **VETUS OMNE TESTAMENTUM ESSE A MALO HEBRÆORVM DEO, QUI DIABOLVS EST.** Destruitur autem hæc execrabilis sententia ex noui Testamenti testimonijs, quæ vnum eundemque Deum faciunt vtriusque testamenti autorem. Paulus enim dicens, *Abraham duos filios habuisse, vnum de ancilla, & alium de libera, quæ per allegoriam, duo significant Testamenta,* ostendit, quòd sicut duæ sunt mulieres, & vnus vir, sic etiam duo sunt Testamenta, & vnus est Deus, qui ambo legauit. & ad Hebræos idem Apostolus scribens, facta vtriusque Testamenti inuicem collatione, alterum Nouum, alterum verò Vetus appellat, ac Nouum quidem à testatore suo ait, ad imitationem & complementum Veteris in sanguine confirmatum per mortem Christi: vt morte eius intercedente in redemptionem præuaricationum, quæ erant sub Veteri Testamento, repromissiones, quæ in illo significabantur acciperemus, ergo nisi vidisset noui Testamenti mediator Christus, Testamentum vetus esse à bono Deo, non utique illud imitando compleuisset. Sed ideo illud imitatus est, quia sicut ipse in Euangelio dicit: **QVICQVID videt filius patrem facere, sic & ipse similiter facit.** Quòd autem idem Deus in vtroque Testamento locutus sit, idem Paulus vbiq; apertè docet, inquiring: **PAVLVS** Apostolus segregatus in Euangelium Dei, quod antea promiserat, per Prophetas suos in scripturis sanctis de filio suo, & iterum: **MULTIPLICITER** multisque modis olim Deus loquens Patribus in prophetis, nouissimè locutus est nobis in filio, & alibi; **HABENTES** eundem spiritum fidei, sicut scriptum est: *Credidi, propter quod locutus sum.* insinuans per hoc ab eodem Spiritu vtrunque Testamentum fuisse inspiratum, & Zacharias testatur eundem esse Deum Israël, qui locutus est in veteri Testamento per os sanctorum Prophetarum, & qui in nouo Testamento visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ. cui Maria in Cantico assentiens, canit: **SUSCEPIT** Israël puerum suum, recordatus misericordie suæ: sicut locutus est ad patres nostros Abraham, & semini eius in sæcula. Et ne quem fortè crederemus fuisse Prophetam, in quo Deus non esset locutus, ideo Petrus addidit: **DEVS** qui prenunciauit per os omnium Prophetarum pati Christum suum, sic & impleuit. Quibus testimonijs hæc etiam demonstratio adiungitur, cum Lex Mosaica, in qua totum vetus Testamentum pendet, idè ab Autore suo condita sit, vt cultores eius deducat ad Christum tanquam ad finem legis, dicente Paulo: **FINIS** Legis est Christus, & **LEX** nobis fuit pæda-

agogus in Christo. Qui fieri potest, vt malus ille Manichæorum Deus, perpetuus D. N. Iesu Christi hostis, Legem ac Testamentum promulgauerit, cuius ductu sectatores sui deducerentur ad cultum Christi, per quem ipse de regno eijciendus erat dicente Christo. **PRINCIPES** huius mundi eijciuntur foras? Vnicus igitur est autor vtriusque Testamenti Deus pater D. N. Iesu Christi.

Secunda propositio.

SECUNDA propositio est: **VETUS TESTAMENTUM NON AD CHRISTIANOS, SED AD SOLOS TANTVM IVDÆOS PERTINERE.** Huius absurditas ex hoc apprehenditur, quòd Testamentum ad eos pertinet, ad quos Testamenti dona, ac promissiones pertinent, & qui Testamenti condiciones exequuntur. Certum verò est, nec veteris Testamenti condiciones ab his, qui secundum carnem tantum Iudæi sunt, seruari, nec propter tales eiusdem Testamenti promissiones factas esse, sed propter veros Israëlitas promissione seminis Abraham contentos, hoc est, propter eos, qui credunt in Christum, qui est summa, & finis omnium promissionum veteris Testamenti, dicente Paulo: **QUOTQUOT enim promissiones Dei, in ipso sunt, & iterum: DICIT** Christum ministrum fuisse circumcisionis, ad confirmandas promissiones Patrum, quæ quidem, non ad eos pertinent, qui tantum de semine Abraham sunt secundum carnem, sed ad eos, vt Paulus ait, qui filij sunt promissionis Abraham, & computantur in semine Isaac, de quo dictum est: *In Isaac vocabitur tibi semen, qui est Christus.* **ABRAHÆ** enim, vt idè Apostolus ad Galatas scribit, dicta sunt promissiones, & semini eius, non dicitur & seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno, & semini tuo, qui est Christus. **DE** cuius salute, vt Petrus ait, exquisierunt, & scrutati sunt omnes Prophetae, qui de ventura in nos gratia variati sunt. Quòd autem, non solum veteris Testamenti promissiones, sed & cuncta alia eius mysteria propter nos harum promissionum hæredes facta sint, vt ad eas consequendas redderemur idonei, Paulus ad Corinthios apertè his verbis expressit: **NOL** vos ignorare fratres, quoniam Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Mose baptizati sunt in nube, & in mari, & omnes eandem escam spiritalem manducauerunt, & eundem potum spiritalem biberunt: bibebant autem de spiritali conseruente eos petra, petra autem erat Christus. hæc autem in figura facta sunt nostri. & paulò post: **OMNIA** contingebant illis in figuram. Scripta sunt autem propter nos, in quos fines sæculorum deuenerunt. & ad Romanos iterum: **QUÆCUNQUE** scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: vt per patientiam & consolationem spem habeamus. Quòd etiam vera veteris Testamenti intelligentia, à Iudæis ablata, ad nos transferri, idem testatur Apostolus inquiring: **VSQVE** in hodiernum diem id ipsum velamen inlectione veteri Testamenti manet non reuelatum, quod in Christo euacuatur, sed vsque in hodiernum diem cum legitur Moses, velamen positum est super cor eorum. Quare cum ipsi testatoris voluntatem, & condiciones in Testamento traditas, nec intelligant, nec seruent; manifestum est, Testamentum

Gal. 4.
Epi. libr. 2.
har. 68.

Heb. cap. 9.

Ioan. 5. 2.

Rom. 1. 2.
Heb. 1. 2.
2. Cor. 4.
Psal. 11. 5.
Luc. 1.

Luc. 7.

Act. 3.

Rom. 10.

Ioan. 12.

Aug. libr. 20.
contra Faust.

1. Cor. 14.
Rom. 15.

Rom. 9.

Gal. 3.

1. Pet. 1.

1. Cor. 10.

Rom. 13.

2. Cor. 3.

mentum illud ad nos pertinere, qui Christum A
eius promissionum finem, tenemus, testatoris
voluntatem cognoscimus, & propositas ab eo
mandatorum condiciones seruamus.

Tertia propositio.

TERTIA propositio est: **VETVS TESTA-**
MENTVM CONFICTIS NARRATIONI-
BVS A IVDÆIS CONTAMINATVM ES-
SE. Aduersus aded improbam, & impiam pro-
positionem, omnes Euangelicæ & Apostolicæ
Scripturæ clamant, de veteribus libris innu-
mera testimonia & exempla sumentes ad do-
ctrinæ confirmationem, ad exhortationem,
correctionem, & consolationem fidelium, non
tanquam de fabulosis, sed tanquam de veracif-
simis scripturis, Spiritu sancto dictante, con-
scriptis: Ad has, ceu ad incontaminatum veri-
tatis fontem, Christus legis peritos misit in-
quiens: **SCRVTAMINI Scripturas: quia ipsa te-**
stimonium perhibent de me. Ad has, vt ad intactas
& incorruptæ fidei literas suos reuocauit di-
scipulos, cum exorsus à Mose, & per psalmos
& prophetas excurrrens, omnia, quæ de eo in
veteribus libris scripta erant, exposuit, & cer-
tissimo euentu in se ipso completa demonstra-
uit. Ex ijs tanquam ex synceris & inuiolatis
scriptis duo Euangelistæ Matthæus, & Lucas
duas Domini nostri genealogias breuiter col-
legerunt, alter incipiens ab Abraham, & per
Patriarcharum, ac Regum successiones vsque
ad Christum descendens: alter per singulas ve-
teris Testamenti generationes ac tempora vs-
que ad Adam ascendens: nimirum, vt ex com-
pendio Historiarum totius veteris Testamen-
ti, quas vtraque Genealogia perstrinxerat, om-
nem totius antiquæ Scripturæ summam indu-
bitata certitudine recipiendam indicarent.
Paulus item, qui se ad pedes Gamalielis vete-
ris Testamenti, non fabulas, sed veritatem di-
dicisse gloriatus est, quam plura veteris In-
strumenti dicta factaque, ac præsertim illas
Historias, quas Manichæi derident, autorita-
te sua confirmavit in illo breuissimo veteris
Scripturæ compendio, quod in Epistola ad
Hebræos artificiosissimè contraxit, vbi om-
nes ferè antiqui Testamenti Historias à prin-
cipio Geneseos, vsque ad vltimū Machabæo-
rum volumen, summam enumerans: *Fide,* in-
quit, *intelligimus aptata esse secula,* & cætera, quæ
toto illo capitulo ita commemorat, vt videat-
ur de industria velle veteris Testamenti gesta
digito demonstrare. Mitto nunc innumerabi-
lia eiusdem Apostoli, & aliorum Apostolo-
rum de hac re testimonia, ne fastidium inge-
ram lectori in re notissima, & cui omnes noui
Testamenti literæ, & stabilis ac perpetuus Ec-
clesiæ Catholicæ consensu attestantur. quod
si quis ad confirmationem Propositionis hu-
ius, plura desiderat, legat quæ infra à nobis in
confutatione secundæ Hæreseos dicta sunt.

Quarta propositio.

QVARTA propositio asserit: **VETVS TE-**
STAMENTVM ESSE AD FIDEI NO-
STRÆ CONFIRMATIONEM INVILE,
ET BONIS MORIBVS CONSEQVENDIS
ADVERSVM. Quam impietatem omnes noui

Testamenti literæ apertissimè confutant. In
primis verò Paulus, Testamentum vetustam
ad fidem quàm ad mores necessarium profite-
tur, scribens ad Timothæum his verbis: **Tv**
verò permane in his, quæ didicisti, & credita sunt ti-
bi, sciens à quo didiceris, & quia ab infantia sacras
Literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem per
fidem, quæ est in Christo Iesu, omnis enim Scriptura,
diuinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad redar-
guendum, ad corripiendum, & erudiendum in iusti-
tia: vt perfectus sit homo Dei ad omne bonum opus in-
structus. Quibus verbis, Apostolus, Scripturas
veteres in duobus maximè necessarias osten-
dit, videlicet ad fidem instruendam, & bonos
mores formandos. Cum enim omnis Christia-
na professio in duobus posita sit, in contem-
platione scilicet, quæ fidem insinuat, & in a-
ctione quæ mores docet, Apostolus vtique ne-
gotio, veteris Testamenti Scripturas accom-
modat: Contemplationi quidem, quoniam cum
duo sint Christianæ contemplationis officia,
hoc est, veritatem docere, & falsitatem redar-
guere, vtrunque Paulus complexus est dicens:
OMNIS Scriptura utilis est ad docendum, scilicet
veritatem, & redarguendum, videlicet falsita-
tem. Actioni verò vetus scriptura utilis est,
quia cum vniuersam actionem duæ partes ab-
soluant, nempe vt quisque iuxta Prophetæ
sententiam à malo declinet, ac bonum faciat,
idcirco Paulus dicit, *Scripturas illas esse utiles ad*
corripiendum, hoc est, ad arripiendum homines
à peccatis, & erudiendum in iustitia, hoc est, ad ho-
mines instruendos in iustitia & bonitate. Pro-
inde Christus vidēs quàm necessariæ sint ad fi-
dei confirmationem veteres Scripturæ, cum de
seipso ad Legis peritos loqueretur, induxit ad
eos libros Mosis dicens: **Si Mosis crederetis: & mi-**
hi crederetis, de me deme enim ille scripsit, & cum de
passione sua ad discipulos loqueretur, ex Pro-
phetis eam confirmavit, CONSUMMABVNTVR,
inquiens, omnia quæ dicta sunt per Prophetas de
filio hominis, & cum à mortuis resurrexisset, om-
nes ferè Euangelicas veritates de veterum Li-
brorum autoritate firmavit. cum enim se duo-
bus discipulis euntibus in Emaus. comitem
dedisset: INCIPENS, ait Lucas, à Mose, late-
que per prophetas excurrrens, interpretatus
est illis omnia, quæ erant de se in veteri Testa-
mento prædicta, Et iterum, cum clausis fori-
bus in medio Discipulorum stetisset, seque
non solum intuendum Discipulorum oculis,
sed etiam contrectandum manibus obtulisset:
ne quid tamen cum suis mortalibus oculis, &
carnalibus sensibus fallaciter agi arbitraren-
tur, magis eos de veterum librorum testifica-
tione firmavit, dicens: Hæc sunt verba, quæ lo-
cutus sum ad vos, quando adhuc eram vobiscum: quo-
niam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in le-
ge Mosis, & Prophetis, & Psalmis de me. Tunc ape-
runt illis sensum Scripturarum, vt intelligerent Scri-
pturas, & dixit eis: Quoniam sic scriptum est, & sic
oportet pati Christum, & resurgere à mortuis tertia
die, & predicari in nomine eius pœnitentiam, & re-
missionem peccatorum in omnes gentes.

His itaque testimonijs quemadmodū Chri-
stus ostendit, vetus Testamentum ad fidei no-
stræ firmitatem, ac certitudinem esse necessa-

Ioan. 5.

Luc. 20.

Act. 22.

Heb. 11.

Heb. 11.

2. Tim. 3.

Veteris Testa-
menti necessi-
tas.Professio Chri-
stiana est posi-
ta in contem-
platione, &
actione.Aug. libr. cō.
Faust.Contemplationis
Christiane of-
ficia sunt duo.Actionis Chri-
stiane due
sunt partes.

Psal. 33.

Ioan. 5.

Matth. 20.

Luc. 24.

Aug. li 4. cō.
Faust. cap. 2.

Luc. 24.

*Testamentum
vetus est utile
ad moralis vi-
tae institutio-
nem.*

*Matt. 24.
Luc. 17.
Marc. 11.
Ioan. 8.*

*Luc. 16.
1. Cor. 10. 11.
Non reperio
apostolum ita
scripsisse, cum
apud eum le-
gatur, haec om-
nia in figura
contingebant
illis.*

1. Pet. 1.

*Summa ve-
ritate nihil ve-
rum procede-
re potest.*

*Lib. 18, de ci-
dei cap. 41.*

*Philosophorum
summa est in-
ter sed dissentio,
Christianorum
vero maxima
in doctrina
consensio.*

rium, ita demonstravit illud ad moralis vitae institutionem vtilissimum, cum de eo tam multa exempla ad honestae vitae informationem acceperit: qualia ea sunt, cum segnitiam auditorum ad vigilantiam excitat, exemplo eorum qui in diebus Noë inopinata diluuij inundatione demersi sunt: vel cū in peccata relabentes admonet exemplo coniugis Loth, **MEMENTOTE**, inquit, *uxoris Loth*: vel cū obstinatas Iudaeorum mentes recordatione Sodomorum, ac Niniuitarum, & reginae Austri deterret: vel cū Pharisaeis exprobrat, quod Abrahæ opera non faciant, cuius se filios gloriētur: vel cū imitatores diuitis illius in inferno sepulti ex Abrahæ verbis ad pœnitentiam reuocat, inquit: **HABENT Moſen & Prophetas, audiant illos.** Paulus quoque omne vetus Testamentum ad morum eruditionem deducēs, ait, omnia, quæ in eo scripta sunt, in figuram propter nos contigisse, vt nō simus concupiscentes malorum, neque idololatræ, neque fornicatores, neque edaces, neque murmuratores, aut Dei tētatores, ne pereamus sicut illi, qui in veteri testamento ob talia facinora perierunt, quorum flagella scripta sunt, inquit Apostolus, *ad correctionem nostram, in quos fines seculorum deueniunt.* Quæ omnia, vt alia innumerabilia præmittam, quæ in hanc sententiam de veteri Testamento produci possent, efficacissimè conuincunt, veteres Scripturas tam ad fidem, quàm ad mores esse magnopere necessarias,

Quinta propositio.

QVINTA propositio est: **VETVS TESTAMENTVM PER SINGVLA ADVERSVS NOVVM TESTAMENTVM PVGNARE.** Et hanc potissimum adnitus est astruere Adimantus Manichæus, edito libro, in quo singulis veteris Instrumenti sententijs, singulas e contrario noui Testamenti sententias opposuit. Cæterum quod in Scripturis diuinis nihil queat esse contrarium, aut pugnant: ex his, quæ superius dicta sunt, manifestè conuincitur. nam cū veteres Scripturæ Deo inspirante scriptæ sint, dicente Petro, **NON humana voluntate allata est aliquanto Prophetia, sed Spiritu sancto inspirante locuti sunt sancti Dei.** Deus verò summa veritas sit, ex qua spiritus vniōnis, & non dissensionis procedit, necesse est, vt in Scripturis eius afflatu conditis, nihil aduersum, aut dissonans inueniatur. vt enim à summa veritate nihil nisi verum procedere possibile est: ita verum, quod ab ea procedit, sibi ipsi pugnare est impossibile. Præterea, vt rectè Augustinus infert, si inter se pugnantibus & discordes diuinæ Scripturæ fuissent, quomodo vnquam fieri potuit, vt Scripturis ad eò inter se dissonis, ac pugnantibus, tot tantique populi crediderint, non indocti solum, & in agris assueti, sed in vrbibus, in scolis, & gymnasijs inter litigiosas disputationes detriti: qui cū semper garruli de Philosophiæ dogmatibus dissentirent, discipuli à magistris, & inter se condiscipuli, tandem vnanimis sub harum Scripturarum concordia conuenerunt. quod nullis vnquam Philosophorum scripturis nec antea, nec post contigisse legitur. Py-

thagoræ enim in plerisque dissentit Plato. Platoni Aristoteles aduersatur, Aristoteli verò sui etiam discipuli contradicunt. at nostri semper Scriptores inter se concordēs sunt, nec aliud Apostoli prædicant, quàm quod Prophetæ pronunciant. qui et si tam multi non sint vt gentilium Scriptores, ne sicut illi multitudi- ne vilescant: non tamen ita sunt pauci, vt eorum non sit miranda consensio. Fatemur tamen, multa in sacris Literis inueniri, quorum cum eadem sententia sit, verba tamen apparenter discrepant: ita diuina sapientia disponente ad exercitium fidei nostræ, vt dum eas ad concordiam reducere nescimus, oremus eum, qui fecit vtraque vnum, vt aperiat nobis apparentis contradictionis conciliationem. Atque hæc aduersus quinque Hæreticorum Propositiones dicta sufficiant.

OBIECTIONES HÆRETICORVM.

1. **NVLLA** se nobis causa offert, cur Vetus Testamentum recipiamus. nam si Testatoris personam, quæ primū in omni Testamento quæritur, consideremus: meritò propter ipsam. vetus Testamentum execramur. est enim Testamēti huius conditor malus ille Hebræorum Deus, perpetuus Dei optimi ac Patris Domini nostri Iesu Christi hostis, à quo mala omnia, cædes, furta, & concupiscentiæ, qui occidit, excæcat, indurat, immittitque concupiscentias malas in mentes hominum, & mulierum, dat leges malas, vt ipsemet per Prophetas suos testatur, & præcepta non bona, in quibus cultores legis viuere non possint.

2. **DEINDE** & ipsa in eo Testamento relicta hæreditas adeò misera est, & corporalis, ac longè ab animæ commodis, vt post beatam illam noui Testamenti pollicitationem, quæ cælorum nobis regnum, & vitam perpetuam repromittit etiam si gratis eam mihi Testator suus ingeret, vltro fastidirem. cū enim tot mihi immortalia bona in nouo testamento relicta sint, carnalia bona, quæ Vetus suis promittit, diuitias scilicet, ac ventris saturitatem, filios ac nepotes, vitamque longeuam, Iudeis, tanquam sua, volens, libensque permitto, sola scilicet noui Testamenti, & regni cælorum splendida hæreditate contentus.

3. **TESTAMENTVM** præterea illis accipiendum est, quibus vnà cum Testamento hæreditas consignatur. cū autem vetus Testamentum nos non solum non constituat hæredes, sed profus etiam exhæredes, quænam improbitas est, vsurpare nobis veteris Testamenti tabulas, quæ, transmissa ad alios hæreditate, nos exhæredatos testentur? quis enim ignorat, Testamentum vetus Chanæorum terram repromittere, eamque solis Iudeis, id est, circumcis, & sacrificantibus, & abstinentibus à porcina, ac reliquis carnibus, quas Moses immundas appellat, sabbata obseruātibus, atque azy-morum solemnitate, ac reliqua huiusmodi, quæ ipse Testator eis obseruanda mandauit: quæ: quia Christianorum placere nemini, (neque enim quisquam nostrum ea custodit) dignum

Aug. ibi. c. 7.

*Cur verba in
Scripturis sa-
cris videan-
tur inter se pu-
gnare.*

*Manes apud
Epiph. libr. 2.
har. 66.*

Iud. 9.

1. Reg. 18.

2. Par. 18.

Esai. 6.

Esai. 4.

Exod. 14.

3. Reg. 22.

Ezech. 10.

Fausus apud

Aug. lib. 4.

contra Faust.

c. 1. & lib. 10.

cap. 1.

Ibidem.

dignum est, vt eum refusa hæreditate reddamus & tabulas.

4. **FRVSTRA** etiam Testamentum ab illis accipitur, qui Testatoris voluntatem, ac Testamenti conditiones seruare nolunt. cum autem Testamenti conditiones sint, vt Testamenti hæredes circuncidantur, sacrificent, & ab illicitis cibis abstineant, &c. nec nos illa seruemus: vereor ne mihi iure Iudæus increpitans dicat: Cur improbe tibi vetus Testamentum vsurpas, cuius præcepta non seruas? & quid tibi cum veteri Testamento, cuius mandata contemnis.

5. **ADHV C**, si qua sit causa, ob quam vetus Testamentum recipiendum sit, hæc sanè erit, propter Testimonia, quæ de Christo in Lege, & Prophetis habentur: quæ quum nulla in his inueniantur, iurè Scripturæ ipsorum contemnendæ videntur. Quòd verò nulla sint in eis de Christo vaticinia, apparet ex his testimonijs, quæ ad confirmationem fidei de Christo ex veteri testamento adhiberi solent. ex quibus cum vulgatissimum illud testimonium ex Deuteuonomio prolatum, **PROPHETAM**, scilicet, *suscitabo, eis similem tibi &c.* minimè spectet ad Christum, quid quæso existimandum est de alijs testimonijs, quæ consimili exemplo subiectuntur huic testimonio? quod certè de Christo intelligi non potest: quia non Propheta Christus, nec Mosis similis. siquidem ille fuerit homo, hic Deus: ille peccator, hic sanctus: ille ex coitu natus, hic secundum vos ex virgine natus: ille offenso Deo suo occiditur in monte, hic Patri per placens propria patitur voluntate. Quomodo ergo ipse erit Propheta similis Mosis? Quòd si nullum de Christo inest veteri Testamento testimonium, ergo ad fidei nostræ confirmationem est inutile.

6. **SI** verò nihil ad fidei nostræ certitudinem confert, multo minus iuuabit ad mores. Quomodo enim ad eruditionem bene viuendi prodesse nobis possunt pessima illa exempla omni odio & fastidio digna, quæ nobis vique in vitis Patriarcharum, & prophetarum vetus Testamentum proponit? videlicet soceros dormire cum nuribus, tanquam Iudas: patres cum filiabus, tanquam Loth: Prophetas cum fornicibus, tanquam Oseas: Nazareos Dei cum scortis, tanquam Samson: maritos vxorum suarum noctes amatoribus vendere, tanquam Abraham: duabus germanis fororibus vnum misceri maritum, tanquam Iacob: rectores populorum, & quos maximè entheos voces, tanquam Dauid, & Salomon, millenis, & centenis volutari cum scortis & alia multa consimilis sceditatis exempla, quæ enumerare longum esset.

7. **NARRAT** etiam vetus Testamentum fabulosa multa. & conficta, quæ à nobis suo loco dicentur, propter quæ Paulus non iniuria veteres Scripturas vocat *prophanas, & aniles fabulas, & genealogias stultas.* de his enim ad Timoth. dixit: **PROPHANAS, & aniles fabulas deuota.** & iterum, **NE intendas fabulis Iudaicis, & genealogijs interminaris, quæ quæstiones magis præstant quam adificationem, quæ est in fide: sicut quidam volentes esse legis doctores, & rursus, STULTAS,**

A & sine disciplina quæstiones deuota, sciens, quia generant lites. & ad Titum eadem de re scribens ait: **QUÆSTIONES & genealogias & pugnas deuota: sunt enim inutiles & vana.** quæ omnia de Legis, & Prophetarum eloquijs à Paulo dicta sunt.

8. **HIS** additur, quod vetus Testamentum vsque aded infensum est, ac repugnans nouo Testamento, vt ambo in vnum conuenire non possint. & quidem primùm in Genesi scriptum est, quòd Deus per seipsum fecerit cælum & terram: in Ioanne verò scriptum est, per **D. N. Iesum Christum factum esse mundum.** vbi dicitur: **ET mundus per ipsum factus est.** In Genesi legitur: **QUIEUIT dominus die septimo ab omni opere quod patrarat:** in Euangelio autem e contrario dicit Christus: **PATER meus operatur vsque modo.** In Genesi scribitur: **FACIAMVS hominem ad imaginem & similitudinem nostram,** Christus autem Iudæis dicit: **Vos ex patre Diabolo estis.** non autem possunt esse filij Diaboli facti ad imaginem & similitudinem Dei. Separationem ab vxore prohibet vetus Testamentum dicens: **IDEO relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhaerebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.** cuius contrarium suadet Christus, dicens: **NEMO est, qui relinquat vxorem, & filios propter regnum calorum, qui non recipiat multo plura in hoc tempore, & in sæculo futuro vitam aeternam.**

In Exodo dicitur: **HONORA patrem, & matrem tuam:** Christus verò ei, qui sepulturæ officio patrem honorare volebat, diuersum præcipit, inquiens: **SINE mortuos sepelire mortuos suos.** In veteri Testamento dicitur. Deum visum esse à Iacob à Mose, multisque alijs facie ad faciem: contra verò in Euangelio dicitur: **DEVM nemo vidit vnquam.** Vetus Testamentum describit Deum odientem malos, & vindicantem peccata, cum dicit: **EGO Deus Zelotes visitans iniquitates patrum in filios vsque in tertiam & quartam generationem his qui oderunt me:** Christus verò asserit, illum esse benignum super malos, dum ait: **QUI est benignus super bonos, & malos.** Ipseque iubet vt peccanti fratri ignoscamus, non solum septies, sed septuagies septies. Vetus Testamentum vindictam præcipit, dicens: **OCVLM pro oculo, dentem pro dente:** Christus verò in Euangelio destruens hoc præceptum, ait: **AVDISTIS quia dictum est antiquis, oculus pro oculo, dentem pro dente: ego autem dico vobis, nolite resistere malo. & si quis percusserit te in vnam maxillam, porrige ei & alteram.** Ex quibus, & alijs his similibus, in quibus veteres Scripturæ cum nouis pugnant, perspicuum euadit, non iniuria à nobis vetus Testamentum dedignari tanquam nouo Testamento contrarium.

9. **HORTANTVR** insuper nos ad veteris Testamenti reprobationem non minus Euangelicæ & Apostolicæ adhortationes, quàm exempla, præsertim verò Apostolorum exemplum: qui ne intolerabili veteris Testamenti seruitute diutius premerentur, quanquam Iudæi essent, ac sub veteri Testamento nati, illius tamen iugum excusserunt. Nos vero è cõtra, naturæ beneficio consecuti, vt sub seruitutis Legge non nasceremur, Christo nobis protinus occurren

Tit. 3.

Ex Aug. con. Adimantum. Gen. 1. Ioan. 1.

Gen. 2. Ioan. 5.

Gen. 1. Ioan. 8.

Gen. 2.

Luc. 18.

Exod. 20.

Ioan. 1.

Gen. 32.

Ioan. 1.

Exod. 20.

Luc. 6.

Matth. 18.

Exod. 21.

Matth. 5.

Faustus apud

Aug. li. 9. c. 5.

Act. 15. b.

Ioan. 1.

occurrente cū pleno munere libertatis, quàm **A** miserī, & stulti erimus, & insuper ingrati, si nos vltro addixerimus seruituti? quippe Paulus inde Galatas arguit, quòd in circumcisiōnem relabentes, ad infirma repedarent, & ege-
Faustus apud Aug. li. 8. c. 1. Gal. 4. b.
 na elementa, quibus denuò seruire vellent. Quomodo ergo nos id admittemus, in quo videamus alios reprehendi? Turpe est certè in seruitutem ire; sed turpius redire.

IO. FREQUENTES denique Christi, & Apostolorum eius admonitiones idem nos ad-
Faustus apud Aug. li. 8. c. 1. Marcio apud Epiph. libr. 1. her. 4. Matth. 9. b. Manes apud Epiph. libr. 2. her. 66. Luc. 16. d. Heb. 8. d. 2. Cor. 3. b. 1. Tim. 1. b.
 monent. **NEMO**, inquit Christus, panum no-
uum assuit vestimento veteri, alioquin maior scissura fiet: neque vinum veteris vitibus credit. innuens Christianam nouitatem Hebraicæ vetustati **B** non esse miscendam. cū enim sordidum sit nouis vestibus indutis, non donare inferioribus veteres vestes, idcirco monuit nos vestimentum vetus, hoc est, vetus Testamentum, Iudæis tanquam infimis seruis relinquere, idemque Legem, & Prophetas resiccatis & inueteratis arboribus comparauit, dicens: **L E X** & **Propheta usque ad Ioannem**, vt videlicet, iuxta Paulum, ostenderet nobis, omne quod veterascit, & senescit, interitui propinquum esse. & Paulus idcirco vetus Testamentum mortis ministratōnem appellauit, cū diceret: **M I N I S T R A T I O** mortis, seu Testamentum mortis in literis formatum lapideis: vt illud non aliter quàm ab autore mortis proditum vitaremus, scientes, quòd *lex illa, vt idem alio loco dicit, iusto non est posita, sed parricidis, matricidis, & periuris, non autem his, qui iuste viuunt in Christo.*

**DISSOLVTIO OBIE-
 CTORVM.**

I. **S I** Temerarij Hæretici in his, quæ ef-
Epiph. libr. 2. her. 66. Exod. 20. Aug. lib. 7. c. 6. adu. leg. & proph. cap. 8. Ioan. 9. Rom. 9. Psal. 100. Rom. 11. Psal. 9.
 freni lingua aduersus Deum optimum oblo-
 quuntur, particulariter, & expresse commem-
 orarent quando quomodo, & quo loco ea ab ipso Deo facta sint, tentaremus vtique & nos particulatim, ac membratim ad singula respondere nunc autem quoniam ipsi vniuersaliter quædam, quasi fugientes attingunt, & nos similiter generatim & vniuersali modo respondemus, non esse à Deo veteris Testa-
 menti concupiscentias malas. quomodo enim concupiscentiam immitteret, qui dicit: **N O N** concupiscas que proximi sunt, neque uxorem eius, neque bonem, neque asinum, neque quacunque proximi tui sunt? Si ergo tollit concupiscentiam, non est concupiscentiæ suppeditator. Quod si indurat, & mentes excæcat aliquorum, non ideo malus dicendus est: alioquin & Christus malus esset, qui dicit: **I N** iudicium veni in hunc mundum, vt qui non vident, videant, & qui vident: **E** caci fiant. ille igitur, qui secundum Apostolicam sententiam cuius vult miseretur, & quem vult obdurat, proculdubio quem vult illuminat, & quem vult excæcat. sed non est iniquitas apud Deum; cui dicit Ecclesia: *Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine.* illuminat ergo misericordia, excæcat iudicio vtique æquissimo, et si occultissimo, inscrutabilia enim sunt iudicia eius. cui tamen dicitur: *Sedisti super thro-*

num qui iudicas iustitiam. Cum autem dicunt miserī isti, Quomodo Hebraorum Deus bonus est, qui furta præcipit? nesciunt vani homines quòd apud Deum nihil perit, & quod iustum iudicium est, & quòd Deus naso non suspenditur, vt putabant Aegyptij, qui volebant sine mercede operatos esse Iudæos, & quidem non paucis annis, sed ducentis, & quindecim annis. æquum igitur erat apud Deum, & homines, vt illis in finem merces redderetur. & hac de causa iustus Deus iussit suos prædari Aegyptios, & cum spolijs eos illinc exire, eademque de causa cædes iustissimas, & strages tam in suos quàm in alienos dedit, vt nullum cuiusuis peccatoris scelus remaneret inultum. Sed inquirunt, Quomodo bonus est Deus Legis, qui gloriatur se dedisse suis præcepta non bona? & non aspiciunt imperitissimi nebulones præcepta illa vitalia, & sancta veteris Legis, de qua Paulus dixit: **L E X** *quidem sancta, & mandatum sanctum, & iustum, & bonum.* idcirco vocari non bona, non quia secundum se mala sint, sed quia facta collatione ipsorum ad Euangelicam perfectionem, minus bona sint, & quodam modo mala, vsitata videlicet diuinæ Scripturæ locutione, quæ frequenter ea, quæ minus bona sunt, appellare solet non solum non bona, sed etiam mala: sicut Christus tam multos bonos homines, qui in mundo fuerunt, intuitu diuinæ bonitatis negat bonos, dicens: **N E M O** bonus, nisi solus **D** *Deus:* & sicut Apostoli, qui electionis merito bonitatem generis humani multis excefferunt modis, ad Dei bonitatem comparati, mali dicuntur, Domino ad eos dicente: **S I** vos cum *stis mali, nostis bona data dare filijs vestris: quanto magis pater vester de caelo dabit spiritum bonum petentibus se?* Apostolus quoque ita noui Testamenti lumine, gloriam Legis affirmat obtundi, vt eam Euangelici comparatione fulgoris, nec glorificatam esse pronunciet, dicens: *Nam nec gloriosum est id, quod glorificatum est propter excellentem gloriam, bonus itaque sanctus, & iustus est Deus veteris Testamenti testator.*

2. **C V I V S** sanè Testamentum non ideo recipimus, quia spes nostra in temporalium rerum promissione defixa sit, quando quidem nec ipsos illius temporis sanctos, & spirituales viros Patriarchas, & Prophetas his terrenis rebus fuisse deditos credimus, audiuius enim Prophetam abijcientem talem felicitatem, & ad vnum dominum confugiendum esse cantantem: **E R V E** *me de manu filiorum alienorum, quorum filij velut nouella constabitate in iuuentute sua, filia eorum circumposita, & ornata velut similitudo templi. cellaria eorum plena, eructantia ex hoc in hoc, oves eorum fecunda boues eorum crasse. non est ruina sapis, neque exitus, neque clamor in plateis eorum. Beatum dixerunt populum cui hæc sunt.* Quam felicitatem Dauid irridens, protinus è contrario addidit: **B E A T V S** *populus cuius est dominus Deus eius. sed sicut Patres illi veteres in his promissis intelligebant reuelante spiritu, quæ per ipsa futura prænunciabantur, & ob hoc ad noui Testamenti desiderium accendebantur: ita & nos cognoscentes ea, quæ per illa signabantur in nobis fuisse completa,*
 hac ad

Epiph. in libr. Anchorato.
Cur Iudæi Dei iussu Aegyptiorum bona abstulerint.
Exod. 21. c.
Ezech. 10. Ioan. Casian. col. 23. ca. 4. Rom. 7. Præcepta veteris Legis cur dicantur non bona.
Luc. 18. Homines boni si cum diuina bonitate comparentur, sunt non boni.
Matth. 7. 11.
2. Cor. 3. c.
Augu. lib. 4. con. Faust. ca. 2. & con. Adiman. cap. 18. & 20.
Psal. 143.



hac de causa veteris Testamenti memoriam, A
veluti præsentis nostræ felicitatis promissio-
nem veneramus, & accipimus.

3. NON itaque Scripturas eius ad conse-
quendam terrenam illam hereditatem tenemus,
sed ad intelligendas in eis noui Testamenti
promissiones accipimus: veteris quippe testi-
ficatio fidem nouo conciliat. Scimus enim
temporalium rerum promissiones Testamen-
to veteri contineri, & idem vetus Testamen-
tum appellari, & quod æternæ vitæ promissio,
regnumque cælorum ad nouum pertineat Te-
stamentum, sed in illis temporalibus, figuras
fuisse futurorum. quo quidem modo accipien-
dum esse à nobis vetus Testamentum Paulus B
docuit, cum ait: *OMNIA contingebant illis in fi-
gura: scripta sunt autem propter nos, in quos fines se-
culorum deuenerunt.*

4. NEQUE periculum est, vt me iure Iu-
dæus increpitet dicenti enim cur tenes vetus
Testamentum, cuius præcepta non seruas? re-
spondebo, in libris illis duo esse præceptorum
genera, præcepta scilicet vitæ significandæ,
ac præcepta vitæ agendæ: quorum ista nunc
à Christianis obseruantur, illa verò tunc à Iu-
dæis rectè sunt obseruata, quando ista prænun-
ciabant, quæ modò reuelata sunt. nunc autem
postquam lux venit Christus, superflud à no-
bis vmbra illæ obseruantur: tenemus tamen C
illas non ad religionem, sed ad testificatio-
nem, sicut & promissa carnalia: quæ in eis con-
tinentur, tenemus, quoniam per ea spiritualia
nobis speranda reuelata sunt.

5. SED aiunt, quid opus veteri Testamen-
to ad fidei nostræ certitudinem, in quo nullum
est de Christo testimonium? Quod enim in
Deuteronomio scriptum est, ad Christum non
pertinet quia Christus Mosi non est similis.
quibus ita occurrimus. illud, quod simile di-
citur, non ex omni parte & modo simile intel-
ligitur. non enim ea tantum, quæ vnus eius-
demque naturæ sunt, dicuntur inter se esse si-
milia, vt olea, oleæ, sed etiam quæ naturæ di-
sparis sunt, vt olea oleastro, & far tritico. sic &
filius Dei, qui tam longe à rebus mortalibus
abest, Agnus & Leo in scripturis appellatur,
vt in Ioanne legitur, *ECCË agnus Dei*, & in
Paulo, *PETRA erat Christus*: quæ ipsi nullo
modo dixissent, nisi Christus aliquam cum il-
lis similitudinem susciperet. Cum igitur Chri-
stus factus sit similis oui, quid mirum, si non
dedignatus sit fieri similis Mosi, qui Mosi dis-
similis erat? similis quippe, quia homo, dissi-
milis, quia Deus: similis quia factus in simili-
tudinem carnis peccati, dissimilis quia sanctus,
& sine peccato: similis quia natus de mu-
liere, dissimilis quia de Spiritu sancto natus: E
similis quia vera morte in monte mortuus est,
dissimilis quia non propter sua peccata, pro-
pria potestate mortuus est: similis quia offenso
Deo propter scelera hominum, offensas hu-
mani generis pertulit moriens in corpore suo,
dissimilis quia offenso propter suam culpam
Deo mortuus est.

6. ADEA, quæ impurissimi Hæretici in vi-
tis Patriarcharum & Prophetarum vituperant,
respondemus, quod quanquam ex his vitijs,

quæ de Patribus in veteri Testamento narratur,
quædam grauius fuisse crimina concedantur, non
ob id Scripturæ minuitur autoritas, immò no-
bis magis commendatur, quod ipsa non teme-
rè, sed iustissimis de causis talia vitia sapien-
ter narret, nempe vt eorū consideratione qua-
tuor hæc, scilicet fidem eruditionem, timo-
rem, ac spem consequamur. Primò fidem, vt
nihil de veritate illius Historiæ dubitemus,
videntes quod ipsa tanquam fidelis speculi
nitor admotarum sibi personarum, non solum,
quæ pulchra atque integra, verum etiam, quæ
deformia vitiosaque sunt, indicat, nulliusque
excipit adulandam personam, sed tam laudan-
da quam vituperanda hominum facta vel ipsa
iudicat, vel legentibus iudicanda proponit,
nec solum homines ipsos vel laudabiles, vel
vituperabiles intimans, verum etiam quædam
in vituperabilibus laudanda, & in laudabili-
bus vituperanda non tacens. Secundò ad eru-
ditionem nostram vitia Patrum refert, non qui-
dem vt illa imitemur, & sequamur, sed vt scia-
mus ea vitanda & fugienda esse, quæ Scriptu-
ra vituperat. Tertio ad timorem, vt casus ma-
iorum sit timor minorum. si enim illos tam
sanctos viros perniciose huius mundi blandi-
menta vicerunt, quanto magis imbecilliori-
bus nobis timendum est? Quarto ad spei con-
solationem, vt discamus in talibus lapsibus
non desperandam salutem, quidam enim in
peccata prolapsi, desperatione plus peccant:
nec solum poenitendi negligunt medicinam,
sed ad explenda inhonesta & nefaria deside-
ria, serui libidinum & sceleratarum cupidi-
tatum fiunt, quasi perdant, si non fecerint
quod vestigat libido, cum eos iam maneat
certa damnatio. aduersus hunc modum ni-
mis periculosum, & exitiabilem valet com-
memoratio peccatorum: in quæ iusti sancti
prolapsi sunt.

7. QV O verò ad fabulas attinet, quas im-
pij de Pauli testimonio confirmant, quis ita,
nisi Hereticus multum secus erraret? cur hoc
Apostolus ipse non fecit, si has esse aniles fa-
bulas iudicauit? cur ad eundem Timotheum
scribens dicit: *SCIMVS quia bona est Lex, si quis
ea legitime utatur.* & cur eidem præcipit, vt per-
maneant in sacris Literis, quas ab infantia di-
didit, instruendis ad salutem per fidem? sed
sciant insani isti, Iudæos præter Scripturam
sacram habere quasdam traditiones *δευτέρων*
appellatas, in quibus tradunt Deum pri-
mo homini duas creasse mulieres, ex qui-
bus varias texunt genealogias, alios ex vna,
alios verò ex alia muliere descendisse con-
tendentes. de quibus traditionibus cum o-
lim Pharisei Christum interrogarent dicen-
tes: *QVARE discipuli tui non ambulant iuxta
traditiones seniorum?* redarguti sunt ab eo, di-
cente: *Quare & vos transgredimini mandatum
Dei propter traditiones vestras?* quæ verba D. E-
piphanius exponens, dixit traditiones istas
esse quatuor genera expositionum, quæ apud
Iudæos sunt. quarum vna sub nomine Mo-
si fertur, altera verò est Rabbi Aciba, ter-
tia Adda, seu Iuda, quarta filiorum Asomo-
næi. de quibus etiam Iudæorum genealogijs &
Thalmu

Patrum vitia
iustis de causis
narrantur
in scripturis.
Aug. cō. Fau.
lib. 22. ca. 65.
Præclarissimi
litudo.

Aug. lib. 50.
hom. 21
Aug. lib. de
nat. & gra.
cap. 35.

Aug. lib. 1.
con. adu. leg.
cap. 1.

1. Tim. 1. b.

2. Tim. 3.

Mar. 7. a.

Epiph. lib. 2.
her. 66.

Quæ sint Iu-
dæorum Tra-
ditiones quas
Dominus ne-
lectit.

Aug. li. 4. cō.
Fausius. ca. 2.

Non scripsit
apost. simpli-
citer Omnia,
sed hæc om-
nia.

1. Cor. 10.
Aug. cō. Fau.
lib. 10. cap. 2.
In veter Te-
sta. sunt præ-
cepta vitæ si-
gnificandæ, &
vitæ agendæ.

Aug. cō. Fau.
lib. 16. ca. 15.
Deut. 18.

Ioan. 1.
1. Cor. 10.

Christus De-
minus fuit Mo-
si similis & di-
similis.

Aug. lib. 22.
cō. Fau. c. 60.

Thalmudicis quaestionibus à Paulo damnatis A nonnulla scitu digna scripsit Annius antiquitatum peritissimus in commentarijs Chronographiæ Philonis, ad quos lectorem huius cognitionis avidum, breuitatis gratia mittimus, transeutes ad loca illa, quæ Manichei de vtroque Testamento ceu inter se pugnãtia afferunt.

8. **Q**UORVM contradictio (quod in solis verbis posita sit) facili momento dissoluitur.

PRIMA igitur oppositio ad exordium Geneseos spectans, tribus modis tollitur. Primò, cum dicitur, *IN principio creauit Deus cælum, & terram*: per Deum significatur trinitas, in qua non solum Pater, sed & Filius, & Spiritus sanctus intelliguntur. Secundò, cum ibidem scribitur, *Dixit Deus, Fiat lux: & facta est lux*: necesse est vt intelligamus Deum per Verbum fecisse quod fecit: Verbum autem Patris, filius est. Tertiò, si propterea ibi non intelligitur filius, quia non est dictum quod per filium Deus fecit mundum, nec in Euangelio Deus per filium aues pascit, & lilia vestit, & cetera innumerabilia, quæ Christus dicit facere Patrem, quamuis non dicat quod ea per filium faciat.

SECUNDA contradictio remouetur, quia non scriptum est, quod quieuerit Deus ab omnibus operibus suis, ita vt deinceps nihil prorsus operetur, sed quod requieuit ab omnibus operibus, quæ tunc fecit, id est ab instituedis rerum naturis, vt iam vltra non faceret mundum, à quo opere post perfectionem cessauerat, sed in administrando mundo semper operatur. & in hoc opere eum esse Christus intimauit, cum diceret; *PATER meus vsque modo operatur*.

TERTIA quoque contradictio sic soluitur. Tripliciter in scripturis nomen filiorum accipitur: secundum naturam, vt Isaac filius Abrahæ: secundum doctrinam, sicut filios suos appellat Apostolus, qui ab eo Euangeliũ didicerunt, tertio secundũ imitationẽ, sicut filios Abrahæ nos vocat Apostolus, quia eius fidem imitamur. Iudæi igitur disciplina & imitatione sunt filij Diaboli, natura verò filij Dei.

QUARTA sic tollitur. Cum causa non existat obtinendi regnum cælorum, si quis reliquerit vxorem, improbatur à Domino, cum verò vxor virum impedit à possessione regni cælorum, tunc vxor relinqui præcipitur: quia vxor coniungitur viro, vt simul mereantur regnum cælorum.

QUINTA eodem modo sedatur, vt propter regnum cælorum parentes honoremus, eosdemque cum opus fuerit, propter annunciationem regni Dei contemnamus, nam dilectio parentum certus est gradus ad dilectionem Dei, quo manifestum est, & honorem parentem in suo gradu esse seruandum, & eos tamen in comparatione diuini amoris, præsertim si impedimento sunt, nulla dubitatione oportere contemni.

SEXTA sic soluitur. Cum dicitur, *DEVM nemo vidit vnquam*, intelligitur de Deo secundum incommutabilem suæ diuinitatis essentiam, quæ nisi à purgatissimo & simplicissimo corde videri nõ potest: oũm verò eum legimus & visum, & locutum pluribus, hoc per visibi-

lem aliquam creaturam fuisse ab eo factum intelligimus, sicut quibusdam locis Scriptura testatur Angelum visum, vbi dicitur, Deum visum, sicut in illa luctatione Iacob Angelum vocat Scriptura illum, quem Iacob Deum vocat, dicens: *VIDI Dominum facie ad faciem*, & illum Deum, quem sibi in rubo, & in Sina cum lege apparuisse Moses dixit, hunc ipsum Stephanus in Actis Apostolorum Angelum fuisse testatur.

SEPTIMA hoc modo sedatur. Deus zelotes est & benignus: benignus quidem, vt Paulus ait, dum malus sua benignitate & patientia ad penitentiam inuitat: zelotes, & puniens in tertiam & quartam generationem, dum sua iustitia punit eos, qui, sprete correctione, in eadem peruersitate parentum perseuerare voluerunt: indulgens verò & ignoscens est non solum septuagies septies erga illos, qui, accepta correctione Dei, per penitentiam reconciliantur.

OCTAVA ad concordiam sic reducitur. In his duabus sententijs non Testamentorum contrarietas ostenditur, sed eorum in perfectione diuersitas: nam cum duo sint lenitatis gradus: primus vt acceptæ iniuriæ mensuram nullo modo dolor vindicantis excedat, secundus, vt totam quis iniuriam placata mente condonet: Vetus Testamentum quasi minus perfectum, carnales homines ad primum gradum mensurandæ vindictæ constituit: nouum verò Testamentum tanquam perfectius, spirituales homines vsque ad secundum omnimodæ remissionis gradum perduxit.

9. **D**E exemplo autem Apostolorum legalibus præceptis renunciantium, dicimus illos non defecisse à præceptis illis vitæ significantæ secundum fidem, vt ea non crederent fuisse futurorum figuras, sed à sola eorum obseruatione destitisse, quorum vmbra coruscante iam Euangelica luce, aufugerant. neque nos illa credentes iterum in seruitutem relabimur: quia non obseruamus, quæ olim Patribus iussa fuerunt ad nos prænunciandos, sed in libertate legimus, quæ scripta sunt ad nos confirmandos. Paulus autem Galatas arguit, non tanquam religiosè Scripturam circumcisionis legentes, sed tanquam superstitione circumcidi volentes.

10. **N**EQUE testimonia illa Christi, & Pauli vllum habent momentum. pannum siquidem nouum, & vestimentum vetus, & vinum nouum, & vtres veteres, non duo Testamenta significant, sed duas vitas, & duas spes. duas enim spes si quis habendas putauerit, vt & propter felicitatem terrenam, & propter regnum cælorum Deo seruiat, hæc illam non capit. cum enim hæc aliqua tribulatione fuerit perturbata, deficiens homo amittet etiam illam. inde est illud, *NEMO potest duobus dominis seruire quod Christus exposuit, dicens: NON potestis Deo seruire & mammona*. miscet itaque pannum nouum veteri vestimento, non qui vetus Testamentum nouo miscet, sed qui continentiam vult habere spiritualement, & nõdum spem deposuit carnalem. Quod autem addunt, *LEX & Propheta vsque ad Ioannem perdurant, non ita intelli*

Annius scripsit scitu digna de Thalmudicis quaestionibus.

Aug. con. Adoman cap. 7. Gen. 1.

Aug. cõ. Ad. cap. 2.

Deus initio Gene. dicitur quieuisse ab omnibus operibus quæ tunc fecit.

Ioan. 5.

Aug. con. Ad. cap. 5. Filiorum nomine tribus modis accipitur in scripturis.

Iudæi mutatione sunt filij Diaboli natura filij Dei. Aug. cõ. Ad. cap. 3.

Vxor quando relinquenda.

Aug. cõ. Ad. cap. 6.

Parentes contemni cum impediant honorem diuinũ.

con. Ad. cap. 9.

Deus fuit visus ad hominibus per visibiles aliquas creaturas. Gen. 32. Exod. 3. Acto. 7.

Deus est zelotes & benignus.

Aug. cõ. Ad. cap. 7. Rom. 2.

Aug. cõ. Ad. cap. 8.

Duo sunt lenitatis gradus.

Aug. cõ. Fan. lib. 9. c. 2. 3.

Aug. cõ. Fan. lib. 12. cap. 2. Mar. 9. Pannus nouus & vestimentum vetus quid significent.

Matth. 6.

Epiph. libr. 2. her. 66. Luc. 16.

*Lex & Pro-
pheta cur
nunc reman-
eant.*

intelligendum est, vt post Ioannem vtraque omnino abijcienda sint, sed quod Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem sunt, tanquam præparatores & prænunciij aduentus Christi, quo adueniente, præparatio & prænunciatio eorum cessat. vtraque tamen remanent ad prænunciationem, confirmationem, vt sciamus, aduentum Christi ab eis diuina dispositione prænunciatum, longè antè quàm aduenisset, remanent etiam ad conseruandam animi nostri gratitudinem, vt eis gratias habeamus, qui nobis tam felicem Christi aduentum prænunciarunt, quemamodum enim si quis pædagogum haberet, (velut etiam Apostolus dicit, legem fuisse nobis pædagogum ad Christi aduentum) vbi peruenerit ad ætatem, & acceperit præceptorem, non omnin oreijcit pædagogum, veluti inimicum, sic & nos cum deducti simus in Lege, & Prophetis vsq; ad aduentum præceptoris Christi, reperto præceptore, non reprobamus pædagogum, sed gratiam ipsi confitemur, quod pueritiam nostrâ deduxit, & ad perfectiores disciplinas demisit. Manet igitur Lex, quam ideo dicit Paulus *iusto nõ esse positam*: quia non est contra iustum, eò quod iustus iam anticipauerit perficere, quæ sunt Legis. sed posita est iniusto, hoc est, contra iniustum ad condemnationem, & ob hoc Testamentum mortis dicta, non quia ab autore mortis data sit, sed quia mortem dari iubeat homicidis, adulteris, & præceptorum eius transgressoribus. sic enim decebat mortis præire Testamentum, vt primum mortui peccatis, iustitiæ viueremus.

*1. Tim. 1.
Lex cur ne-
gatur posita in-
sto.*

*Lex cur di-
catur Testa-
mentum mor-
tis.*

DE VETERI TESTAMENTO
in vniuersali. hæresis II.

IN Veteribus, Scripturis, quas nunc tenet Ecclesia, multa, tam à Iudæis quàm à Christianis falsata, multa quoque partim superaditta, partim verò subtracta fuisse.

*Seruetus hæ-
reticus ab hæ-
reticis propter
hæresin exu-
stus.*

ASSERTORES HVIVS
HÆRESEOS.

H VNC pestilentissimum errorem profitentur ætate nostra recentiores Anabaptistæ. quibus in eodem errore consentiunt Seruetani, sic dicti ab impio quodam Michaële Serueto Hispano, quem anno M. D. LIII. propter eius execrabiles hæreses in vrbe Allobrogum Geneua publico incendio exusserunt, illi ijdem Lutherani, qui contendunt hæreticos quantumlibet pertinaces, nulla ratione occidendos. Hi ergo Seruetani cū de diuinitate CHRISTI, & sancta trinitate, quam ipsi negant, multa testimonia in veteri Testamento sciant esse descripta, eaque tam aperta, vt eludi non possint, dicunt illa testimonia à Trinitarijs (sic enim illi impij, Catholicos Trinitatis assertores per contemptū appellant) fuisse vitata.

IMPUGNATIO.

orig. lib. 8.

DICI non potest diuinas Veteris Instru-

menti scripturas, aut Iudæorum, aut Christianorum malignitate falsatas. nam si à Iudæis dicamus illas fuisse corruptas, tunc meritò quaritur, inquit Origenes, ane ante aduentum Christi eas Iudæi corruperint, vel post ipsius aduentum? si antea, nunquam profectò Christus, & Apostoli, qui cætera crimina arguunt in Scribis. & Pharisæis, de hoc crimine, quod erat maximum, reticuisissent; nec Christus auditores suos ad illos misisset, dicens: *S V B E R CATHEDRAM MOISI SEDERUNT SCRIBÆ, & PHARISÆI: QUÆCUMQUE DIXERINT VOBIS, FACITE*: si eos de cathedra Moisaicæ lectionis falsa proferre sciuisset. Sin autem quis dicat post aduentum domini Saluatoris, & prædicationem Apostolorum, libros illos ab Hebræis fuisse falsatos, cachinnum tenere non potero, vt Saluator, & Euangelistæ, & Apostoli ita testimonia protulerint, vt Iudæi postea falsaturi erant. Quod si quis dixerit libros illos à Christianis post Christum defuisse deprauatos, respondet Augustinus, diuina prouidentia factum esse, quod non vniuersi Iudæi fuerint occisi, sed per orbem terrarum dispersi virtute Dei, vt ex eorum intactis voluminibus possimus agnoscere nostros non esse falsatos, & ne ipsi Iudæi libros illos nobis occultare possent, aut corruptos ostendere, Deus quinquaginta & ducentos annos ante Christi aduentum inspirauit Ptolemæum Philadelphum Alexandria Regem, vt per septuaginta celebres interpretes Hebræos scripturas illas traducere curaret, & per Demetrium Bibliothecæ præfectum, vnâ cum Hebræis exemplaribus in sua Bibliotheca reponi, & diligenter seruari. quæ volumina vnâ cum Hebraicis exemplaribus Tertullianus in in Apologetico testatur vsque ad sua tempora in eadem Bibliotheca fuisse, & à Iudæis frequenter lectitata, & ab eis fidelissimè iudicata. Neque prudens aliquis credere potest, Iudæos cuiuslibet peruersitatis atque malitiæ, in codicibus tam multis, & tam longè lateque dispersos in vnum conuenisse, & odio Christianorum in corruptione suorum voluminum conspirasse, vt scilicet dum aliis inuiderent Scripturæ veritatem, ipsi seipos priuarent veritate. qui etsi id vnanimi consensu facere voluissent, nemini tamen persuaderi poterit, fuisse Christum saluatorem nostrum tam graue facinus per manus hostium Ecclesiæ suæ permitturum, ne Ecclesia in Verbi sui veritate fundata, ab inimicis suis tantum veritatis detrimentum reciperet, ac perpetuæ deceptionis errore, falsa pro veris amplectendo, teneretur. Nec etiam credibile est, Deum Ecclesiæ dilecti filij sui denegare voluisse post Christi aduentum, quod ante eius aduentum Synagogæ Hebræorum concesserat, vt nemo auderet Scripturis eius vel adicere vel auferre, adhibitis etiam euidentibus miraculis contra illos, qui id tentare præsumpserunt, legimus enim apud Aristæam, & Iosephum, illustres quosdam viros ea de causa aduersa mentis valetudine, & languore corporis diu conflictatos, veluti Theodorum, ac Theopompum: quorum ille tragœdiarum scriptor, cum nonnulla ex Iudaicæ Scripturæ verbis

*hom. in Esa.
Hier. lib. 3.
com. in Esa.*

Marth. 23.

*Diuinitus factum vt Iudæi sunt supersti.
Aug. in Psal. 58.*

Eus. li. 8. Eua. præp.

Lxxx. ient. pretes quando vixere.

*Tertu. in Ap. ca. 18. & 19.
Aug. li. 15. de in De i. c. 43.
Tertullianus ætate extab. Biblia à Lxx. conscripta.*

Aug. li. 33 cõ Faustus c. 6.

Aug. li. 2. de doct. christ. c. 14.

Aristæas in interp.

Iosephus l. 11. ant. cap. 1. Historia obseruanda contra scripturari corruptores.

ad fabulam quandam referre vellet, luminibus priuatus est: hic verò cum aliqua ex diuina lege in Græcam linguam transferre cœpisset, turbatione quadam mentis & animi illicò percussus est, vnde postea magnopere Deum orans, quare id sibi contigisset, responsum accepit per somnium, quòd diuinas Scripturas inquinasset.

His accedunt tot labores ac vigiliæ vetustissimorum Ecclesiæ Patrum, qui defessis studijs aduisi sunt, vt nobis Hebraicas Scripturas ab omni falsationis, ac vitij suspicione liberarè relinquerent, emptis hac de causa magno sumptu antiquissimis, ac emendatissimis codicibus. e ù quibus nostra exemplaria cōferrent, & collata verterent, emendarèt, exponerent: ne deinceps infideles, & hæretici possent nos de veterū Scripturarū falsitate reprehendere. Scit enim Deus (inquit Hierony.) me in peregrina lingua eruditione sudasse, ne Iudæi de falsitate Scripturarum Ecclesijs eius diutius insultarent.

Sed si quis iterum instet veteres libros, quibus nunc vtimur, post ætatem illorum Patrum fuisse falsatos, respondebimus, hoc fuisse verendum nisi esset latè sparsus lateq: notus populus Iudæorum, apud quem ipsorum codices tanta semper diligentia conseruati sunt, vt à Christianis vitari non potuerint. sunt enim Iudæi geruli nostri, qui sibi libros portant ad onus, nobis verò ad eruditionem ac fidem: vt cum de codicum nostrorum sinceritate incidit dubitatio, ex incorrupta Hebraicarum voluminum fide tollatur. Denique adimit omnem falsationis scrupulum irrefragabilis, ac perpetuus omnium Patrum in lectione Veteris Testamenti consensus: ita enim per cunctas temporum successiones sibi inuicem succedentes scriptores ac doctores, veteres libros legerunt, vt nos nunc legimus & easdem sententias & iisdem verbis semper citarunt, quibus nunc nos in nostris codicibus Hebræis, Græcis, & Latinis vtimur. Ex his igitur, ac plerisque alijs, quæ in hoc argumento, superiori volumine, in confutatione primæ Hæresis apposuimus, Veteris Instrumenti Scripturæ ab omni falsationis suspicione liberantur.

OBIECTIONES HÆRETICORVM.

1. **M**VLTIS iam sæculis tam apud Christianos, quàm apud Hebræos veteris Instrumenti Scripturas fuisse corruptas. & ob id varias atq; etiam inter se dissonas, ex multitudine translationum veteris Testamenti inuicem discrepantium conuincitur: sunt enim translationes Septuaginta interpretum, & Aquilæ, & Symmachi, & Theodotionis, & præter has aliatres, quæ Quinta, Sexta, & Septima nuncupantur, & post illas etiam Octaua, quæ Hieronymi creditur, ad eò inter se variæ, ac pugnantès, vt altera ex his plura, alia pauciora, alia diuersa, & perperam transposita, alia non solum in verbis, sed & in sensibus ad fidem pertinentibus contraria, & alijs editionibus repugnantia contineat, quod quidem tot erudi-

Atissimorum interpretum vitio minimè credendum est euenisse, sed potius diuersa Hebraicorum exemplarium varietate contigisse. cum autem dissona varietas nunquam sine falsitate consistat, consequens est Hebræicos codices, vnde tam multiplex interpretum discordia nata est, fuisse non solum varios, sed etiam vitiatos, & falsatos.

2. **I**L I V D etiam arguit veteris Testamenti contextum successione temporum ab antiqua sinceritate mutatum, quòd in Hebræis ætatis nostræ codicibus omnis à principio vsque ad finem Scripturæ narratio, sola prosa extenditur, neque in eis vix vnum extat de tot carminibus, quibus multos libros veteres traditur fuisse conscriptos. Testatur enim Hieronymus in præfatione Chronicôn Eusebij, in præfatione libri Regum, & in præfatione Isaia, Psalmos quamplures, & lamentationes Iereimæ, aliaque multa diuerso metri genere in eis contineri. & in præfatione libri Iob scribit eundem librum hexametris carminibus dactylo, spondeoque currentibus componi, intermissis interdum tinnulis quibusdam ac dulcibus rythmis, esseque in sacris voluminibus varia carminum genera, qualia sunt in poematibus Virgilij, ac Horatij nostri, & græci Pindari, atque Alcæi, quibus Psalterium, & Lamentationes, & omnia fermè Scripturarum Cantica constant. idem ad Paulam Vrbicam scribens addit, extremam partem libri Prouerbiorum claudi alphabeto, quod tetrametro iambico supputatur, Lamentationes verò quadruplici alphabeto, quorum secundum, tertium, & quartum Sapphyco metro ex tribus versiculis, heroico semper commate, siue Adonio conclusis, scripta sint. Eusebius item Cæsariensis libro 10. Euangelicæ præparationis affirmat inueniri in veteri Testamento artificiosissima carmina, vt Canticum Mosi magnum, & Dauidis Psalmum centesimum decimum octauum heroico versu conditum, & alia multa carmina trimetra ac tetrametra elegantissimè, quò ad dictionem pertinet, composita. Iosephus quoque libro secundo Hebraicarum Antiquitatum scribit Mosem post transitum maris Erithræi canticum illud, quod nunc extat, hexametro versu cecinisse. At nunc in Hebræicis voluminibus ne vestigiū quidem vllum apparet huiusmodi, siue heroici, siue lyrici versus. & quò de cæteris carminibus taceamus, in toto veteri Testamento nec vnum hexametrum inuenies, dactylo, ac spondeo Latinorum, vel Græcorum more contextum. nec duo similiter cola reperies, quæ secundum rythmi consuetudinem, vel pari syllabarum numero, vel eadem finalis syllabæ terminatione claudantur. Quæ cum in nostris exemplaribus nulla sint, reliquum est. vt dicamus, veterum librorum contextum ac totius narrationis faciem immutatam fuisse, & antiquam illam carminum sublimitatem in hanc prosam humilitatem demissam.

3. **F**A C I T ad hoc etiam nonnullorum Latinorum Græcorum, ac illustrium Hebræorum Authorum testimonium, qui Hebræicos Codices ab ipsismet Hebræis olim deprauatos affirmant,

Hier. in præf. Isaia.
August. lib. 13. c. 1. Faust. c. 10. & cap. 14.

Iudæi sunt geruli Christianorum.

cap. 8.
Deut. 32.

affirmant, de quorum numero Iustinus Philo-
sophus & Martyr, annis ab hinc mille qua-
dringentis, scribens contra Tryphonem, o-
stendit Iudæos in odium Christi multa pro-
phetica testimonia de Scripturis sanctis ab-
scidisse, & abstulisse. Origenes Homil. 12. in
Ieremiam scribit Iudæos exemplaria sua fal-
sasse, præsertim in libro Ieremiæ, vbi pro eo
quod legebatur. **PECCATVM Iuda scriptum
est & cat.** ipsi nolentes se peccatores confiteri,
pro peccato Iuda posuerunt, *peccatum eorum.*
Hieronymus quoque in commentarijs tertij
capitis ad Galatas exponens dictum illud, **MA-
LEDICTVS** omnis, qui non permanserit in omni-
bus, quæ scripta sunt in libro legis, dicit in exem-
plaribus Hebræorum sui temporis defuisse
duo illa verba, **OMNIS**, & **OMNIBVS**, & in-
certum habere, an Septuaginta interpretes il-
la acciderint, vel, an in veteri Hebraico ita
fuerint, & postea à Iudæis deleta sint, se verò
in suspicionem adduci, vt credat particulas
illas à Iudæis fuisse sublatas, tum ne Hebræi vi-
derentur esse sub maledicto, non potentes ser-
uare, quæ scripta sunt, tum quia Paulus vir
Hebrææ peritiæ, & in lege Domini doctissi-
mus, nunquam ea protulisset, nisi in Hebræis
voluminibus haberentur, tum quia in Hebræis
Samaritanorum voluminibus suo tempore in-
ueniretur scriptum *כול*, quod interpretan-
dum est **OMNES**, vel **OMNIBVS**. similiter
quod legitur in Deuteron. **MALEDICTVS**
à Deo omnis, qui pendet in ligno, arbitratur Hiero-
nymus eodē in loco ab Hebræis ad Christi igno-
miniā tam in Hebræis, quàm in nostris codici-
bus fuisse falsatū, interpositis duabus particu-
lis, **A DEO**, & **OMNIS**, vt scilicet Christia-
nis infamiam inurerent, qui in Christum à Deo
maledictum crederent, cuius rei non leue in-
diciū Hieronymus attulit, quod in veteri
Testamento nullo loco scriptum sit, aliquem
à Deo esse maledictum: & vbi cunque maledi-
ctio ponitur, nunquam Dei nomen adiunctum
inueniatur. Iacobus item Christopholitanus
episcopus in Præfatione suarum Enarratio-
num in psalmos scribit. Hebræos, Arabes, &
Chaldæos, non habuisse olim nec vocales, nec
puncta in literis suis, sed omnem Scripturam
sacram fuisse ab Esdra sine vocalibus, & sine
punctis conscriptam, Rabbinos verò Iudæo-
rum post conuersionem Constantini magni
loco vocalium finxisse puncta, & secundum
sensus suos humanos Scripturam sacram per-
uertisse, atque his præsertim locis, vbi late-
bant manifesta mysteria aut de Christo, aut
de Ecclesia. vnde etiā concludit, Scripturis
Hebræorum sic per puncta scriptis, & inter-
pretatis nullam adhibendam esse fidem.

4. **SED** quid externis testimonijs opus est,
quando ipsimet Hebræi spontè fatentur sua
volumina iam inde à multis sæculis fuisse cor-
rupta? hoc est, ab ipso statim Ierosolymitanæ
urbis præcidio, præcipuè verò, quando Nabu-
zardan præfectus Regis Assyriorum, vt habe-
tur in quarto Regum volumine, succedit do-
mum Domini, & domum Regis, & omnes do-
mos Ierusalem combussit, tunc sacra illa volu-
mina, & authentica, quæ in locis publicis ser-

A uabantur, omnia incendio absumpta sunt, nec
vnquam postea ad pristinam sinceritatem re-
stitui potuerunt, quamuis id facere multis co-
nati sint, collatis ad inuicem particularibus
quibusdam codicibus, qui apud quosdam in-
certæ authoritatis remanserant. Testes sunt
huius rei plerique Rabbiorum, ac inter alios **Cap. 13**
David Kimki, cuius sententiam ingens Rab-
biorum numerus sequitur. is in expositione
tertij libri Regum, & in præfatione Prophe-
tarum sic loquitur: *In captiuitate prima corrupta
sunt exemplaria, elicueruntque ex vno exemplari sic,
& ex alio aliter, & vbi clarum non potuerunt habere
sensus, scripserunt vnā dictionem intra contextum,
& aliam ad marginem, perierunt quoque exempla-
ria, & distracta sunt, & morientibus sapientibus, qui
tenebant Scripturæ sensum, conati sunt hi, qui erant
de synagoga magna, restituere Legem ad vetustatem
suam: inuenientesque dissensiones in exemplaribus,
adhibuerunt fidem pluribus exemplaribus consen-
tientibus. vbi verò clarā cognitionem habere non
potuerunt, scripserunt vnā dictionem absque pun-
ctis, aut scripserunt in margine, & non intra contex-
tum.* Hæc R. David. Thalmudistæ verò ferè om-
nes in libris Thalmudicis, frequenter mentio-
nem faciunt de correctione quadam veteris
Testamenti, qua olim Rabbini ipsorum, in
emendando sanctæ Scripturæ textu vsi sunt,
quàm *תיקון סופרים* *Tikun sopherim*, hoc est, **C**
Correctionem sapientum Scribarum vocant, iuxta quam
Scribæ etiam ante natum Christum quadam
in libris Legis & Prophetarū immutauerunt,
nunc Scripturam quibusdam punctis distin-
guentes, nunc alia in marginibus apponen-
tes, quæ loco eorum, quæ in contextu scripta
erant, vrbanitatis, ac modestiæ gratia hone-
stius, ac decentius legerentur: vt pro *coire cum
concubina, iacere cum illa*, & pro *humano stercore,
egestionem*. cuius rei gratia, interdum quoque
id, quod erat scriptum à Propheta, eradentes,
in locum illius quod ipsi magis è Scripturæ
decoro iudicassent, reprobant. vnde factum
est, vt sensus multò à Propheta sententia di-
uersus emerferit. cuius rei testis est Prochetus
Hebraicorum voluminū obseruator diligen-
tissimus libro primo Victoriæ aduersus He-
bræos, indicans olim in calce primi capituli
Malachiæ scriptum fuisse *ויהי othi*, hoc est, **me**.
in cuius locum scribæ subrogarunt *ויהי otho*, **Cap. 15. d**
hoc est, *eum*, vel *illum*, ex quo sequitur, quòd **Mal. 1.**
vbi nos nunc iuxta correctionem Scribarum **Mal. 1. d.**
legimus, *E c c e de labore vestro, & exufflastis il-
lum*: ibi quondam à Propheta dictum fuerit,
E c c e de labore vestro, & exufflastis me, dicit Do-
minus: seu *afflixistis, vexastis vel expirare fecistis me,*
dicit Dominus. Similiter q̄ nūc legimus Micheę
primo capite, **E** *IN* domo pulueris, puluere aspergite
vos, vel inuoluate, secundum aliam translatio- **Mich. 1. c**
nem, hoc inquit R. Scelomo est correctio Scri-
barum qui puncta facientes correxerūt, & di-
xerunt *ויהי חיתו*, *chit palascithi*, id est, **I N V O L-**
V I T E, vbi à Michæa erat scriptum. *ויהי חית
חיתו palasci*, id est, **I N V O L V I M E** sic enim in
Propheta scriptum erat: **I N** domo pulueris, pul-
uere aspersi me. Item quod nunc legimus Osee
nono. **I N R E C E S S V M E O**, vel *recessio mea*, si-
ue, *Cum recessero ab eis*, R. Scelomo, & R. Kimki
dicunt,

dicunt, sic legi secundum correctionem Scribarum, videlicet *בשורי מהם* *bessuri mechem*, id est, IN RECESSU MEO, cum verus Prophetæ textu olim habuerit *בשורי מהם* *bessuri mechem*, id est, INCARNATIO MEA EIS. quarum sententiarum sensus, vt nunc iuxta textum à Scribis correctum habemus, valde distat à sensu illarum sententiarum, quas olim prima Scriptura habuit, in qua filius Dei per Prophetas istos loquens, mysterium, secundum vos, futuræ incarnationis designauit, qui tunc dicitis eum se in domo pulueris aspersisse puluere, cum carnis nostræ puluerem induit, quem Iudæi afflixerunt & expirare fecerunt. Hæc, & pleraque alia Rabbi Scelomo, R. Kimki, R. Simeon, & R. Iohannam à Scribis olim correctæ fuisse testantur. quorum Scribarum exemplum imitati posteriores Rabbinii, idem fecerunt, & discipulis suis idem facere persuaserunt, sicut R. Iohannam ex sententiâ R. Simeon in libro Ieuamoth dixit: *Bonum est, vt euellas vnam literam de lege, & enunciatur* *ח*, *Chet in publico* Hæc Prochetus, Ex his igitur vniuersis perspicuum est veteres Libros correctione, seu potius correctione Scribarum fuisse falsatos.

DISSOLVTIO OBIECTO-

R V M.

1. AD E O stulta est hypothesis, cui Anabaptistarum argumentum innititur, vt nihil stultius: diuersitas enim translationem non ex illa sola causa, quam ipsi afferunt, oriri potest, sed ex alijs multis, vt ex vario interpretum ingenio, ac iudicio, vel interdum imperitia, aut negligentia, vel etiam malitia: quibus omnibus accidit, vt interpretationes eiusdem scripturæ inter se frequenter, & in multis differant. Fieri etiam potest, vt diuersorum interpretum editiones, quæ prius inter se conueniebant, postea quàm maxime inter se distent, seu incuria, seu ignorantia, seu fraude scriptorum, ac librariorum, qui eas ab emendatis & sinceris exemplaribus perperam descriperunt: sicut in omnibus editionibus veteris Testamenti ante Hieronymi tēpora emissis contigit, vt singulæ à singulis discreparent, tã ob scriptorū, quàm ob interpretum varietatem, à quibus aliqui prudenter, aliqui malignè, aliqui per insciam multa vel immutarunt, vel tacuerunt, vel addiderunt. Prudenter quidem, ac piè Septuaginta interpretes multa tacuerunt, tum ne arcana fidei ethnicis proderent, & sanctum darent canibus, tum quia multa non plenè intellexerunt, vt potè interpretantes ante Christi aduentum: & quæ non intellexerunt, aut omiserunt, dubijs sententijs protulerunt, ita in eis operante diuino spiritu, qui pro tempore & loco misteriorum formas obiectas esse voluit in Scripturis, vt earum manifestatio Euangelistis, & Apostolis, manifestato Christo reseruetur. Malitiosè verò multa permutarunt, subtraxerunt, & addiderunt Aquila, Symmachus, Theodotion, ac plerique alij Iudaizantes, & Hæretici translatores, quorum editiones abiicit Ecclesia Christi, sola

Translationū diuersitas oritur ex varijs causis.

Hier. in præfat. Pentat. & Esaiæ, & in Apol. contra Ruff. Lxx interpretes prudenter multa tacuerunt.

Malitia aliorum scriptura interpretum.

A Septuaginta interpretum editione vsque ad tempora Hieronymi contenta. Multa quoque per imperitiam, & negligentiam dormitantes librarij, quæ bene edita fuerant, perperam describentes peruerterunt. Vnde his omnibus causis in vnum concurrentibus factum est, vt ex vno eodemque Hebraicæ veritatis fonte, tanta editionum & codicum varietas emanauerit. De harum editionum diuersitate, & quomodo, & quando ijs vsa fuerit Ecclesia, futurè dicemus in fine huius operis, cum de editionibus sanctæ Scripturæ tractabimus.

2. DE diuersis autem carminum generibus, quibus dicunt Anabaptistæ olim plures veteris Instrumenti libros fuisse compositos, qui nunc apud nos soluta oratione leguntur, aut impudentissimè mentiuntur, aut imprudentissimè decipiuntur ex ignorantia Hebraicæ Poëseos, sicut olim consimili de causa Iulianus apostata seipsum decipit, accusans Eusebium Cæsariensem, quod multas carminum species, in Scripturis sanctis inueniri falso persuaserit, vero tamen similius est, imperitos Hæreticos ex inscitia falli. cum enim nec Hebraicarum artium peritiam habeant, nec Hieronymi verba considerauerint, existimant hexametros illos, ac trimetros, & tetrametros, quos Hieronymus, Eusebius, ac Iosephus commemorant, esse eiusdem generis cum carminibus Poëtarum nostrorum, eademque pedum qualitate, quantitate, ac dispositione constare, quia dixerit Hieronymus esse apud Hebræos, versus, spondeo, dactyloque currentes. quæ quidem verba indocti Anabaptistæ non intelligunt. neque enim ita est intelligenda Hieronymi similitudo, vt Hebræorum versus Græcorum, Latinorumque carminibus sint per omnia similes, sed in hac parte solum, quod peruetusta illa Hebræorum Poësis perinde ac nos habet non solum multos pedes nostris consimiles, conficiendis carminibus aptos, videlicet dactylos, spondeos, iambo, & alios complures, verum etiam plura carminum genera hexametra, trimetra, tetrametra, & huiusmodi alia quæ pari pedum numero cum nostris hexametris, ac trimetris incedunt, sed differunt à nostris variata pedum qualitate, situ, & ordine, quia Hebræorum hexametri, sæpe inter dactylos & spondeos, alios quoque pedes recipiunt, variato etiam ordine sedum, in quibus apud nos pedes collocari solent. crebrò enim (vt Hieronymus inquit) Hebræorum hexametri ob linguæ proprietatem alios præter dactylum, ac spondeum, pedes recipiunt, non earundem syllabarum, sed eorundem temporum. interponunt etiam Hebræi contra nostrorum Poëtarum consuetudinem carminibus suis rythmos quosdam inusitados, quos, vt Hieronymus ait, simplex lector intelligere non potest, sed solum metricæ artis peritissimus. Quamobrem non mirentur Anabaptistæ, si in veteri Testamento non inuenerint rythmos nostris consimiles, paremque syllabarum numerum habentes, & in eandem extremam syllabam post certum versuum ambitum recurrentes: quando nec apud nos singula rythmorum genera, eundem,

Hebræorum versus non sunt in omnibus similes carminibus Græcorum, & Latinorum.

Hier. in præfat. Iob.

Lib. r. her. 4.

Cyill. lib. 7. aduers. Iulia

eundem syllabarum numerum, ac eosdem carminum fines, retinent: sed alijs, quemadmodum apud Hetruscos in vsu est, vndecim syllabis constant, decantandis heroicis accommodati: alij ex septem syllabis, modulandis ad lyram odis aptissimi, ac iocundissimi: alij ex duodecim syllabis, in dactylum semper terminantes, citati, ac lubrici, scenæ mirabiliter deseruientes. & ex his omnibus rythmis, alij rursus apud Hetruscos Poëtas semper rythmi legem seruant, finalium syllabarum similitudine conclusi: alij verò ea lege soluti, neglectaque finalium syllabarum similitudine, mouentur, vnde & rythmi soluti dicuntur. Sic igitur in Hebraicis diuinis Scripturis multa sunt huiusmodi rythmorum, & versuum genera, quorum canones & mensuras nunc enarrare, longum, & superfluum esset. quod si quis illarum desiderio tenetur, legat Hebræorum poëtas, ac inter alios Rabbi Scelomo, cognomento Gabirol, eximium apud suos poëtam, & Rabbinum Iosephi Hyslopæi poëma iambico carmine scriptum, quod *Scutella argentea* inscribitur, apud quos duos omnia fermè prædicta carmina inueniet. Cur autem sacri interpretes in transferendis diuinis literis, Hebræorum carminum leges non seruauerint, Augustinus in epistola ad Memorium episcopum causam assignat his verbis: *Neque enim ex Hebraea lingua voluit numeros interpretis exprimere, ne metri necessitate ab interpretandi veritate amplius, quam ratio sententiarum sinebat, digredi cogeretur: certis tamen numeris Dauidicos Psalmos constare credo. amavit enim vir ille sanctus musicam piam, & in ea studia nos magis ipse, quam ullus alius author accendit.*

3. QUANTVM verò attinet ad Patrum testimonia, quæ veteres libros olim indicant falsatos, vltro fatemur, eos nonnullis in locis à quibusdam Iudæis fuisse deprauatos, sed talem deprauationem tanti momenti fuisse non credimus, quin facile ab Origene, Eusebio, Epiph. Hieron. & alijs Patribus Hebrææ linguæ peritis facile emendari potuerit, facta collatione cum ceteris antiquissimis Hebræorum exemplaribus: tum quia paucissima fuerunt ea loca ab Iudæis corrupta, tum quia non adeò fuit vniuersalis eorundem locorum corruptio, vt in omnibus simul Hebræorū exemplaribus toto orbe terrarum dispersis, ijdem met loci, ac eadem met verba essent corrupta, non permittente hoc diuina Christi prouidentia, ne Ecclesia sponsa sua, diuinæ Scripturæ veritate fraudaretur. Quare cū neque vniuersalis, neque magna fuerit veteris Scripturæ corruptio, facile ex pluribus Codicibus, in quibus integra remanserant, quæ in alijs vitiata fuerāt, Hebraica lectio ad pristinam sinceritatem restitui potuit, ac re ipsa restituta est à Hieronymo, & alijs eruditis Patribus. vnde stultum est, & sine ratione, velle nunc asserere, Hebraicos codices olim in locis illis fuisse falsatos, in quibus vniuersi omnium Hebræorum codices tam recentes, quàm vetusti consentiunt. Neque vocalium punctorum additio facta ab Iudæis quicquam derogat perpetuæ diuinorum voluminum sinceritati. nam etsi

A nunc Hebræi, adiectis punctis sub consonantibus, aliter interpretentur, atque aliter intelligant Scripturam, quam debeant, non tamen illam adeò vniuersaliter per hanc punctorum adiectionem deprauare & contaminare possunt, vt veterem suam integritatem non semper retineat, sublatis enim Rabbiorum punctis, semper veterem Scripturam cum suis radicalibus, & seruilibus literis in sua puritate integram, & incorruptā necesse est remanere. quamuis (vt verum fatear) nullum mihi vquam videre contigit Hebræorum volumen, in quo puncta consonantibus addita, ita redderēt significationem verborum diuersam ab antiqua illa significatione, ac sensu, quā tempore Origenis, Eusebij, Epiphaniij, & Hieronymi habuerūt, vt ex ea diuersitate quicquam absurdi in his, quæ ad dogmata fidei nostræ pertinent sequeretur.

4. Ad vltimum, quod afferunt de תיקון סופרים *Tikun Sophrim*, nihil aliud respondere libet, nisi nos portentosa Thalmudicorū voluminum testimonia non recipere, vtpotè eorum librorum, qui omni mendacio, contumelia, & blasphemia pleni sunt, non solum aduersus Christum, quem ipsi pro hoste habent, sed etiam aduersus Deum creatorem cœli & terræ, quem solum Iudæi se colere fatentur: quia etiam publico totius Ecclesiæ decreto damnati sunt, ac per omnes Christianorum Vrbes proximis annis in medio foro exusti. quorum etiam testimonium si reciperemus, nihil tamen inde Anabaptistæ assequerentur ad causæ suæ defensionem. sunt enim singula, quæ *Sophrim*, id est, *Scribæ*, erasisse dicuntur, in multis, & authenticis Hebræorum commentarijs annotata, & memoriæ diligenter prodita, ex quibus annotationibus (vt iam sæpe visum est, & videri adhuc potest) omnia, quæ à Scribis fuerunt abrasa in Hebræis exemplaribus, qui nunc toto orbe extant, vsque ad minimum iota, vel apicem restituta sunt: & ipsimet Iudæi opinionem eorum damnant, qui ausi sunt inter eos dicere, libros sacros aliquando fuisse corruptos. Vnde Iacob Benhaym de regno Thuneti reprobans prædictam R. Kimki sententiam ab Hæreticis inductam, scribit contra eam in hunc modum: *Sententia illorum longè est à me: nec enim adduci possum vt credam, & labijs confitear, Ezram Scribam, librum Legis diuinæ, atque libros Prophetarum dubios, corruptos, & confusos inuenisse. quin magis sententia mea hæc est, quod Esdras, & collega eius inuenerint Biblia sacra integra, & illæsa, quodque Ezras iudicio suo cognouerit, qui libri scripti essent per sapientiam. illam excellentem, & quare quedam literæ scriberentur, quedam vero non, quare etiam dictiones quedam extraneæ scriptæ essent: dimisitque eas in ipso textu vt scriptæ erant, adijciens in margine veluti glossam, quæ naturam vocabuli extranei explicaret.* Hæc R. Iacob. ex quibus deliræ Anabaptistarum nugæ exploduntur.

DE LIBRIS MOSAICÆ LEGIS, Hæresis III.

Quinque libros Mosaicæ legis repudiare.

Ff 3 ASSER

Hetrusci carminis varietas.

Car sararum literarum interpretes non seruarint leges hebraicorum carminum.

Pauci loci Scripturarum à Iudæis corrupti.

Thalmudici libri sunt plane impij.

ASSERTORES HUIUS
HÆRESEOS.

Epiph. lib. 1. her. 3. PTOLEMÆITÆ heritici, qui à Ptolemæo Gnostico de secta Valentinianorum descendunt, quemadmodum Epiphanius scribit, damnarunt hos Libros, quia crediderint ea, quæ in ipsis continentur, non esse à Deo bono, sed à tribus diuersis Autoribus condita, videlicet, vnâ partem eorū à Deo opifice huius mundi, qui esset medius inter Deum bonum, & Diabolum, aliam verò à Mose, iuxta propriam mentem, & non secundum Dei voluntatem: tertiam à senioribus, Iudæorum, secundum ipsorum ingenium excogitatam. Manichæi verò longè iniquiores, ideò Libros istos se rejicere affirmant, quòd à principio vsque ad calcem amalo Hebræorum Deo dictati sint, & à filiis eius Iudæis omni turpitudine, ac fœditate referti: qui vt eas fœditates contegerent, inseruerunt eis pauca quædam verba de Lege illa naturali, quam Deus bonus mentibus humanis impressit, vt tanquam velo ac nebula diuinorum verborum superinducta, fidem authoritatemque libris suis conciliarent. Collegerunt autem Faustus, & Anonymus Fabritij discipulus, ac subuersionem horum Librorum, quæcunque Celsus, Porphyrius, Iulianus, & alij sacrorum voluminū hostes, aduersus diuinam Legem delatrarunt.

IMPUGNATIO.

IAM satis in his, quæ superius initio huius Libri dicta sunt, confutauimus præsentem Hæreticorum insaniam, ostendentes, omnem veteris Testamenti Scripturâ emanasse à Deo bono, Patre Domini nostri Iesu Christi, à quo eius scriptores afflati, ea solummodo literis illis mandarunt, quæ spiritu à Patre & Filio procedens suggestit. Quamorem non opus est, vt eadem, vel iisdem similia iterum hoc loco repetamus.

OBIECTIONES HÆRETICORVM.

Epiph. lib. 1. her. 33. 1. Nos, inquiunt Ptolemæitæ, libros Mosis non accipimus vt diuinos: quia scimus eos non secundum boni, ac perfecti Dei mentem, sed partim iuxta hominum, partim iuxta Dei mediij voluntatem conscriptos: & primum quòd Lex illa, quæ Decalogus dicitur, geminis tabulis exarata, non sit à Deo bono, ac perfecto, apparet: quia perfecti Dei perfecta sunt opera, hæc autem imperfecta est, & completionem indigens, ob cuius impletionem, & perfectionem consummandam, Saluator noster se venisse testatus est. Apparet etiam esse in his libris aliam quandam legislationem non à Deo latam, sed à Mose, quam ipse non Dei voluntatem, sed propriam intelligentiam secutus dictauit, legem Dei permutans iuxta debilitatem, ac necessitatem eorum, qui graui diuinæ Legis onere premebantur: ne dum illam seruare non possent, desperatione adducti in omnem se iniustitiam præcipitarent. veluti cum à se ipso legem repudij Legi diuinæ con-

trariam dedit, ob populi duritiem, vt si diuinam Legem dicentem *QVOD deus coniunxit homo non separet*, seruare nõ possent, nõ ad eadem vxoris illico seuiendo verteretur, sed ad repudium tanquam ad leuiorem culpam haberet refugium, quod Christus testatur dicens: *MOSES ob duritiem cordis vestri permisit dimittere vxorẽ, sed non fuit ab initio. Deus enim dixit: ERUNT duo in carne vna: quod ergo Deus coniunxit, homo nõ separet.* Rursus & aliæ quædam leges ac traditiones seniorū in his libris implicitæ inueniuntur contra quas adhibito Isaiæ testimonio Saluator noster inuehitur inquis: *DEVS dicit, Honora patrẽ tuũ, & matrẽ tuã vos autem dixistis (inquit ad seniores loquens) donũ quodcunque est ex me, in tuum vertitur comodũ: hypocrita. rectẽ de vobis dixit Isaias: Frustra colũt me docẽtes doctrinas, & madata hominũ: irritũ enim fecistis mandatũ Dei propter traditiones vestras* Hæc Ptolemæus in epistola ad Floram.

2. MANICHÆI verò, inter quos Faustus, & Anonymus Fabritij discipulus, addunt, se libros Mosis non recipere, quia in eis ab initio vsque ad calcem legantur indigna de Deo bono, ac filio eius Christo, pietatem, & mores destruentia. Primumque omnium in ipso Geneseos vestibulo, Moses describit Deum quendam in tenebris ab æterno versatum, inquis, tenebras fuisse ante lucem conditam, & Deum super aquas tenebris obsitas inambulasse per noctem, antequam faceret lucem.

3. DESCRIBIT etiam Deum admirantem ad insolitẽ lucis aspectum obstupescere, atque adeò antea nescientem quid esset lux, vt cum primum eam vidisset, tũc optimam iudicasset.

4. MALEVOLVM quoque ostendit, qui prohibuerit hominem sumere cibum dignoscenciæ boni, ac mali, hoc est, prudentiam, quæ sola videtur contineri posse humana vita: tanquam eum parem esse voluisse pecoribus ista nescientibus, cum illi, quem superiorem fecerat bestijs, hoc negasset, quo solo homo superat bestias.

5. SERPENTEM verò facit vel ipso Deo meliorem vel fortiorem: meliorem quidem, quòd hominem ad prudentiã cibum alliciendo similem fecerit Deo, sicut ipsemet Deus testis, est inquis, *ECCË Adam sicut vnus ex nobis factus est, sciens bonum, & malum: fortiorem verò, quia hominem decipere, ac vincere potuit, fecerat Deus.*

6. FACIT etiam Deum vel ignarum futurorum, cum præceptum illud, quod nesciret si Adam seruaturus esset, ei mandaret, vel imprudentem cum illud, quod sciret Adam non seruaturum præciperet.

7. IMPROVIDVM similiter, cum hominem in angulo Paradisi latentem post agnitam nuditatem, quasi illum videre non posset, clamoribus inquireret, dicens: *ADAM vbi es?*

8. NEC minus inuidum, quam timentem, dum Angelum ad custodiã paradisi ignea frama armat, veritus ne forte primi nostri parentes, qui iam serpētis beneficio facti erant prudentiæ participes, in Paradisum rursus reuerterentur & de ligno vitæ gustarēt, vnde in posterum, se etiã inuito, immortalitate frueretur.

9. DESCRIBIT quoque Deum appetentem sanguinem

Deut. 24

Matt. 19

Matth. 15

Exod. 20

Mar. 7.2

Esa. 9

Ex Aug. lib

22. con. Fau.

cap. 14.

ibidem.

Gen. 1.2

Gen. 1.4

Ex Aug. con.

adu. leg. lib. 1.

cap. 14.

Iulian. apost.

apud Cyrill.

lib. 3. cõ. 1. d.

Ex Aug. cõ.

adu. leg. lib. 1.

cap. 15.

Gen. 3. d

Ex Aug. con.

adu. leg. lib. 1.

cap. 14.

Gen. 2. d

lib. 22. con.

Faust. cap. 4.

Gen. 3. b

Ibid. c. 4. &

Iulian. apost.

apud Cyrill.

lib. 3. cõ. 1. d.

Gen. 3. d

Ibidem.

Exod. 20. a sanguinis, adipisque, dum ex omni genere sacrificiorum, quasi carniū, & viscerum auidus, sibi offerri iubet.

Ibid. & Ind. 10. IREM zelantem, ægrè ferentem, ac zelotypia laborantem, dum alijs Diis, quibus emulatur, eadem, quæ sibi offerri vetat.

Ezech. 21. a II. IRACUNDVM præterea, comminantem, ac truculentum, & iniustum, cum toties nunc in suos, nunc in alienos irascitur, perimēs tot hominū millia obleuia quedā, vel nulla cōmissa: minitās sese cū gladio deuorante vēturum, & parciturum nemini, nec iusto, nec iniusto.

Ex Aug. lib. 12. NĒC solum huiusmodi contumelijs affecit Moses Deum suum, sed quod magis execrabile est, Christum filium Dei, qui nostræ salutis causa in ligno pependit, diro deuotionis conuitio laceffuit, pronuciās *maledictum esse omnem, qui pependit in ligno*, qui seu volens, seu casu id fecerit, neutro tamen excusandus est. si enim nolens Christo maledixit, constat eum non fuisse diuinum, ac Prophetam: si vero volens, nec futura hæc ignorans, inuidus certè fuit nostræ salutis, quæ futura erat ex ligno, in cuius authorem maledici oris sui venena depromptit. Quod conuicium omnes etiam tangit iustos, ac martyres, quotquot simili passionis exitu defuncti sunt, vt Petrus, & Andreas, & reliqui eiusdem sortis. neque enim vulgo saltem eos maledictos dicit, id est, apud homines tantum, sed maledictos à Deo.

Ibid. cap. 1. 13. SIC enim & omnes Dei pueros, ac virgines pari deuotione prosequitur, dicens, *maledictum esse omnem, qui non suscitauerit semen in Israël*. Quod æquè cōuitium principaliter Christum tangit: qui ortus, vt dicitur, ex Iudæis, nullam tamen inter eos seruandæ posteritatis causa, sobolem suscitauit. Deinde & discipulos eius, quorum nonnullos ab vxoribus seiunxit, quos copulatos inuenerat, quosdam verò & coniungi vetuit, quos deprehendit intactos.

Ex Aug. cōt. adu. leg. lib. 2. cap. 6. 14. PRÆTER hæc etiam Moses omnem spē futuræ resurrectionis in hominibus extinxit, qui mortalem esse animam pronunciauit, & eam sanguinem esse dixit, cum scriberet: *ANIMA omnis carnis, sanguis est*.

DILVTIO OBIECTORVM.

Epiph. lib. 1. 1. ERSI temerarius Ptolemæus contentiosè asserat, libros Legis aliquid habere ex Deo medio, aliquid ex Mose, aliquid ex senioribus, non tamen potest alicubi ex sanctis Scripturis, quas ignorat ostendere, quòd vniuersa Mosei lex non sit ex Deo optimo, & perfectissimo: quæ licet omni ex parte perfecta non esset, & impletione facta per Christum indigeret, tamen secundum temporum illorum distributionem, & personarum dispositionem, quantum eius decebat officium, perfecta erat, cōueniens rudi, & carnali populo, quem ipsa veluti pædagogus deducebat ad Christum perfectionis præceptorem, cuius gratia Lex illa data est Mose: qui nihil vnquam extra Dei voluntatem in libris suis vel præcepit, vel scripsit. neque inseparabilem coniugij vnionem à Deo institutam dissolui mandauit, quamuis

Gal. 4. Augu. contra Faust. lib. 9. cap. 26.

A de dando libello repudij tulerit legem. aliud enim est repudium, & aliud libellus repudij. repudium, permissio est, dare libellum præceptio est. non autem dixit Moses: *QUI voluerit, dimittat uxorem*: quod contrarium Legi Dei erat, sed, *SI QVIS dimiserit, non dimittat, nisi prius dato libello repudij*: vt scilicet interposita mora, animus in dissidium præcepti, libelli conscriptione refractus absteret, & quid mali esset, vxorem dimittere cogitaret: & à iudicibus sapientia, & pietate præditis, ante quos legere libellum tenebatur, ad coniugalem concordiam reuocaretur. Quòd si tantum intercederet odium, vt extingui, emendarique non posset, tunc permisit fieri diuortium, sciens quod vir non frustra dimitteret vxorem, quam sic odisset. Omnis igitur Mosis Legislatio ex deo est, nec vllæ sunt in ea traditiones seniorum admixtæ. nam traditiones, de quibus saluator locutus est, omnino sunt extra Legem, & sunt sicut iā diximus, quadruplices Iudæorū expositiones, videlicet R. Moyfis, R. Akiba, R. Iuda, & filiorū Asomonei. Quòd autè de his intellexerit Christus, sermo eius apertè ostendit, cum inquit: *SI QVIS dimiserit patri suo Korban, hoc est donum &c.* quæ verba cum nullibi in libris Mosis inueniantur, consequens est, Christum de traditionibus seniorum, quæ sunt extra legem, locutum.

2. QUANTVM verò attinet ad Manichæorum calumnias, respondemus, primum, quòd etsi lux non erat super faciem abyssi, antequam Deus conderet lucem, non tamen Deus in tenebris versabatur priusquam faceret lucem. non enim deerat ante hanc temporaneam, & visibilem lucem, alia æterna, & inaccessible lux, quam deus inhabitaret, scilicet ipsemet deus, in quo tenebræ nullæ sunt. hanc lucem deus ab æterno incoluit, sibimet solus ad perpetuam lucem vnus ipsi sufficiens. Proinde cum spiritus domini super aquas adhuc tenebris obsitas ferebatur, easque sua virtute confouebat, non in tenebris tanquam luce destitutus latebat, sed in clarissimo lumine, videlicet in se ipso manebat.

3. QVOD autem calumniatur, miratum esse deum, id neque scriptum est, neque ex his, quæ scripta sunt, sequitur. legitur enim. *Et vidit Deus lucem, quod esset bona*. quæ verba deum potius creatæ à se lucis approbatorem, quam inopinatæ lucis admiratorem demonstrant. Sed & si vetus scriptura deum miratum esse dixisset, nihil inde absurdi pateretur, cum & in nouo testamento, Christum, quem deum Manichæi fatentur, audita Centurionis fide, miratum degamus. non quia aliquid præter opinionem tum primum in Centurione videret, sed quasi id quod iam antea præcognouerat futurum, ita debuisse fieri approbaret.

4. IAM verò ad illam malevolentiam calumniam respondemus, dignoscantiam boni, & mali, duplicem esse: alteram per scientiam, quæ beati hominis est, alteram per experientiam, quæ miseri hominis est, ac infeliciter dicitur, & fælicius ignoratur, morbos enim & dolores quāto fælicius nesciremus? Ergo deus quia ab hac infælici dignoscantiam hominem

prohibuit, non maleuolus, sed beneuolus dicendus est. sicut medicum beneuolum dicemus, qui nos ab aliquo cibo prohiberet, quo nos accepto agrotaturos esse praesciret: & ob id ab ipso euentu appellaret eundem cibum dignoscetiae sanitatis, & imbecillitatis, eo quod per ipsum homo cum agrotare coepisset, experiendo dignosceret, quid interesset inter contractam malam valetudinem; & bonam perditam sanitatem. quid utique melius ignorasset, si in illa, quam perdidit sanitate mansisset, credens medico per obedientiam, non morbo per experientiam.

Fructus scientiae boni & mali quare discernitur.

Aug. li. 1. cor. ad le. ca. 15.

Gen. 3, 22.

1. Cor. 12, 13.

Homo cur deceptus sit.

Serpens vincens hominem victus est.

lib. 1. cor. adu. leg. cap. 14. Deus hominem peccaturum

Ibid. cap. 14.

5. Si igitur misera est illa scientia, quam Deus homini prohibuit, satis apparet, serpente non fuisse Deo meliorem, ut impij nugatores blasphemant, sed ultra quam dici possit malum ac pessimum, qui tam infelicem malorum omnium scientiam homini ostenderit. Nec verba illa, **ECC** **E** **Adam factus est sicut vnus ex nobis**, Dei sunt affirmantis, sed magis exprobrantis. sicut illud Apostoli cum dicit: **DONATE** **michi hanc iniuriam**, utique a contrario vult intelligi, si adfit pronunciator doctus, non calumniator indoctus. Neque ideo fortior est serpens quam Deus, quia hominem decepit, quem fecit Deus, nullo enim modo deciperetur, si non in corde recessisset a Deo, quia igitur recessit a Deo, ideo a Deo desertus est, & a serpente victus est. sed neque serpens vicit, cum a semetipso sit ipse deceptus ac victus, tam enim ille, qui decepit, quam ille, quem decepit ambo decepti sunt, recedendo ab eo, qui non potest decipi: & ambo sunt victi, recedendo ab eo, qui non potest vinci, a quo utique, qui plus recedit, plus vincitur. quia tanto sit deterior, quanto remotior. Et ideo necesse est, ut qui malum alteri prius inferendo vincere videtur, amplius ipse bonum amittendo vincatur, neque potest fieri, ut ei locus sit melior, cui causa sit peior. & cum ad tempus praeualuisse visus est diabolus, homine superato, etiam sic in aeternum victus est, homine reparato.

6. De eo vero, quod Deum non aliter quam futuri ignarum superbe derident, dicimus non ignarum fuisse Deum hominem peccaturum, sed simul etiam, quid iusti & boni fuerat de peccante facturum summa utique diuinitate praesciuit: nec instituit, quod obesset, si homo sibi obesse nolisset, sed potius instituit, quod prodesset quia homo non sine bona mercede obedientiam custodisset, & non sine utili exemplo, ut eam sancti eius posterius custodirent, poenas inobedientiae persoluisset. nec voluit, quod non potuit, hoc enim voluit, ut aut obediens homo esset aut inobediens impune non esset, nec infructuosè voluit, quod homo non fuerat seruaturus; quia poena contemptoris docuit alios obedire.

7. Neque improvidus Deus erat, quia latente Adam, ubi nam esset interrogaret: quia ideo interrogauit, ut hominem sua responsione conuinceret. cum tamen sciret non solum ubi esset, sed etiam quid sibi esset responsurus, & ea sibi vellet responderi, ut confessione criminis extorta, non iniuste illum punire videretur.

8. SIMILITER nec inuidiae arguendus est Deus, quod ad vitalis ligni esum peccatores ingredi paradisi ianuas ultra non permiserit, sed ut iustus merito laudandus, qui ab aeternitate, quae iuste obedientibus data fuerat, prauaricatores iuste prohibuerit. sicut nec Christum timetem, aut inuidum Manichaei dicerent, quia virgines fatuas in regnum suum clausa ianua intrare non permiserit, sed iustum, qui ad vitam aeternam non admiserit, peccatores.

Deus cur vitulis ligni esum homines prohibuerit.

Matt. 15, 12.

9. EXISTIMARE autem Deum esse sanguinis & adipis appetentem, quia sibi animalium adipem, & viscera offerri iubeat, hominis est diuina sacramenta ignorantis. Non enim haec Deus praecipit. quasi animalium necesse, & sanguinis effusione delectaretur, aut eorum odore vesceretur, vel victimarum sanguine, & holocaustorum nidoribus ex saturari desideraret, sed ut illis sacrificijs praenunciaret nobis verum illud sacrificium, quod vni vero Deo, vnus verus Deus sacerdos, mediator Dei & hominum obtulit, cuius sacrificij promissiuas figuras in victimis animalium celebrari oportebat, propter commendationem futurae carnis, per quam vniam victimam fieret remissio peccatorum de carne contractorum.

ibid. cap. 17.

Cur Deus sacrificia sibi immolari praecipit.

10. NIHIL praeterea Deo indignum scripturae attribuunt, nominantes eum zelotem, cum etiam in nouo Testamento Christus eicitis de templo nundinatoribus, de se ipso dicat: **ZELVS** **domus tua comedit me.** est enim Dei Zelus non ea animi perturbatio, qua maritus coniugis adulterio turbatus contabescit, sed diligens custodia conseruandae coniugalis pudicitiae, quam Deus adhibere solet, cum aut plebem suam tanquam coniugem monet, ne per multos falsos Deos fornicetur, aut cum vnumquemque hortatur, ne castitas, quam vni Deo anima debet, per falsas huius mundi illecebras corrupta & prostituta turpetur. tribuitur ergo Deo zelus, non secundum liuidae perturbationis anxietatem, sed secundum tranquillissimam erga nos beneuolentiae bonitatem, vel secundum linguae Hebraicae proprietatem, vel secundum nominis abusionem, qua virtutes vitiorum vocabulo frequenter apud omnes gentes appellari solent.

Ioa. 1, 18. Zelus Dei quid.

lib. 22. Faust. ca. 18.

Deo quomodo Zelus tribuitur.

11. CONSIMILE quoque sentiendum est de ira ac furore Dei, qui cum nullis humanis passionibus turbari queat, irasci tamen dicitur, cum sceleribus nostris poenas debitae ultionis infligit, significat etiam ira eius vindictam, siue aliqua Hebraeae linguae proprietate, siue nominum abusu, qui in omnibus linguis late patet, cum nominibus, quibus proprie vitia denotantur, etiam virtutes appellent, astutiam pro prudentia, & cupiditatem pro voluntate dicentes. Deus igitur non ira, velut humana, turbide sauit, sed alia diuina ira, iusta retribuit, quae non propter vlciscendi libidinem, sed propter vindicandi rigorem, certo vsu locutionis, ira nominatur. De peremptis autem hominum millibus ob leuia quaedam, seu nulla, si ea stolidi isti expressè commemorarent, ostenderemus nec nulla esse, nec leuia, sed

ibid. cap. 18.

Ira Dei quid.

ibid. cap. 19.

Deus quomodo nec iniustus nec crudelis.

sed grauissima. quod enim maius nephas esse potest quam preponere creaturas creatori. aut tentare Deum, aut murmurare contra illum, aut ab eius cultu deficere, aut de eius prouidentia, & auxilio desperare, quæ omnia illi perpetrarunt, quorum multa millia in deserto caesa leguntur. vnde nec truculentus, nec iniustus est Deus, qui minetur se nemini parciturum, nec iniusto nec iniusto: quia summus ille vitis agricola, aliter parat falcem sarmetis infructuosis, aliter fructuosis, istis quidem vt purgadis, illis verò vt amputadis. impijs tanquam sarmetis præcisus ad combustionem, iustis verò non parcat, ad perficiendam purgationem: non parcat iusto, nec peccatori, illum flagellando, vt filium, illum puniendo, vt impium. Sic igitur iustis salubrem adhibens correptionem, misericors, & clemens, non truculentus, & iracundus est: peccatoribus verò debitam seueritatem propter peccata retribuens, non iniustus, sed iustissimus est.

Aug. lib. 14. 12. SED iam videamus, quam intelligentiam habeat, quod execrabiles hæretici de maledictione pendentis in ligno à Mose prolata vituperant. Sciendum est, quòd sicut lingua, & manus aliquo modo ipsas corporis partes ac membra significant, aliquo verò modo opera, quæ ex ipsis sequuntur, veluti hominum sermo, lingua dicitur, quia per linguam fit, & hominis scriptura manus dicitur, eo quòd manu facta sit, ita peccatum, vel maledictum, quod idem est, non tantum ipsum opus malum, sed etiam ipsam mortem in scripturis sanctis significat: quia mors ex peccato est, quod dicitur maledictum. Quo sensu Moyses Christum appellauit maledictum, quia Christus sine reatu suscepit mortem, maledicti nostri supplicium. Quo etiam sensu Paulus Christum nuncupauit peccatum, & maledictum, cum dixit: *EVM qui nõ nouit peccatum fecit pro nobis peccatum: hoc est, peccati nostri supplicium.* & *FACITVS est pro nobis maledictum: hoc est pro nobis mortuus. idem est enim mortuus, quod maledictus, quia mors ipsa ex maledicto est, & maledictum est omne peccatum.*

Aug. lib. 14. 13. QVOD autem Moyses non sit continentie, vel virginitati infensus, quia dixit: *MALEDICTVS omnis qui non suscitauerit semen in Israël: legant Esaiam eodem spiritu clamantem: HÆC dicit dominus spadonibus omnibus qui obseruauerint præcepta mea: dabo illis in domo mea locum nominatum meliorem filiorum, & filiarum, nomen æternum dabo illis, & non deerit eis.* Aut si contrarium putat Esaiam Mosis, is eis placeat, si ille displicet. Non est hoc parum aduersus istos. nobis enim sufficit scire, vnum Deum locutum, & per Moysen, & per Esaiam, & secundum spiritalem intelligentiam maledictum esse omnem, qui non reliquerit semen in Israël, hoc est omnem, qui pro modulo suæ virtutis nõ institerit dominicis lucris, & non reliquerit semen, quod videat Deum, id est, qui non habuerit aut filium, aut seruum, aut proximum quem timorem Dei doceat super terram. Spiritualiter itaque intelligendus est Moyses.

14. QVIS sanè si animam credidisset esse mortalem, non alio loco diceret: *OMNIS, qui con-*

tigerit mortuum, & mortuus fuerit, & non fuerit purificatus, excretur anima eius de Israël: quia adhuc immundus est. ADHVC, vtique dixit, etiam post mortem, quia non est purificatus. Vocauit autem animam sanguinem, non substantiæ, sed significationis causa, quo modo dictum est: *PETRA erat Christus.* non quia hoc erat, sed quia hinc significabatur. Non autem frustra animam voluit significare per sanguinem, quia sicut sanguis in nostro corpore plus cæteris humoribus principatur, ita anima omnibus, quibus constamus, inuisibiliter præualet. Hactenus de libris legis, nunc ad libros propheticos transeamus.

Aug. cõ. adu. le. li. 2. c. 6. Num. 19, 11. Leu. 17. 14. 1. Cor. 15.

Anima cur dicatur sanguis.

DE LIBRIS PROPHETICIS hæresis IIII.

Prophetarum libros nihil in se habere, cuius gratia recipi debeant.

ASSERTORES HVIVS HÆRESEOS.

ET hæc quoque Manichæorum hæresis est, quam præceteris Faustus, & Anonymus Fabricij discipulus tutati sunt: ijs Theodorus quidam Mopsuestites consentire videtur, qui, vt legitur in actis quintæ synodi, asseruit, nihil in prophetis contineri, quod euidenter de Christo pronunciatum sit, sed maiores nostros ea, quæ de alijs rebus dicta fuerant, ex propria voluntate ad Christum traxisse, propter quam hæresim merito in quinta synodo damnatus est. Quòd autem in prophetis omnibus sint innumerabilia vaticinia, præfagia, & oracula de Christo, cui, vt Petrus ait, *testimoniũ perhibent omnes prophetae*, insuper & exempla multa honeste vitæ, & quod hac de causa libri eorũ tã ad fidei veritatem, & firmitatem, quàm ad bene iusteque viuendum summopere nobis sint necessarij, abundè ex noui testamenti autoritate superius comprobauimus. restat igitur vt videatur, quàm leuia sint ea, quæ Manichæi contra prophetarum libros obijciunt.

Faust. apud Aug. lib. 12.

Act. 10, 43.

OBIECTIONES HÆRETICORVM.

1. SI prophetarum libri recipiendi sunt, propter duo potissimum recipiendi sunt, vel quòd ad fidei testificationem vel quòd ad vitæ informationem conferunt, quorum cum neutrum præstent prophetarum libri, nulla se offert causa, quæ nobis illos faciat commendatos. Quid enim opus est nobis eorum scriptis propter testimonia de Christo saluatore, que nulla in eis sunt? vel, si qua fortè sint, nos tamè neq; illis ad fidei cõfirmationem egemus, neq; ipsis vti debemus. Inertis enim fidei confessio est in Christum sine teste & argumento non credere. nam cum vos ipsi dicere soleatis, nihil esse curiosius exquirendum, quia simplex & absoluta sit Christiana credulitas, quomodo non destruitur fidei simplicitas indicijs, eam ac testibus fulciendo, & maximè Iudæis?

Ex Au. li. 16. con. Faust. c. 4. & lib. 12. ca. 1.

In Christũ sine teste credendum.

2. QVORVM sanè testimonia ad eò nobis sunt ad fi

Ex Au. li. 13. cõ. Fau. ca. 1.

ad fidem inutilia, vt nec post fidem de Christo acceptam aliquid profint: nam si Gentili ante susceptam fidem in Christum credendum sit ob testimonia Hebræorum prophetarum, quæ vos in libris eorum inueniri putatis, ergo illi antea prophetis credendum erit, quàm Christo. Sed dicite, quæso, si Christum per prophetas mihi accipiendum existimatis, prophetas ipsos per quem accipiam? & quis mihi pro illis faciet fidem? certè non alij prophetæ: quia tum quæstio in infinitum abiret, iterum atque iterum percontantibus nobis, qui pro illis prophetis nuper inductis testimonium reddat. At si dicatis esse accipiendos ex Christi testimonio, vt vicissim, id est, prophetæ illi Christum, & Christus illos commendet, Gentilis profecto vtriusque conditione liber, nec Hebræorum prophetarum scripturis de Christo dicentibus crederet, nec Christo de scripturis illorum testanti. Quare satis patet, Iudæorum prophetarum testimonia ante fidem in Christum inutilia esse: quia ante fidem cum Gentiles essemus, ipsis tanquam Hebræis credere non poteramus, post fidem verò cum iam in Christum credimus, superflua testimonia sunt, cum ipsis non vltra indigeamus, vt quæ iam credidimus, credamus.

Ex Au. li. 12. con. Fau. t. 1.

3. Quid si quis dixerit nobis, testimonijs post fidem acceptam opus esse ad stabiliendam susceptæ credulitatis firmitatem, quæso, quæ necessitas cogit, vt ab externis, obscuris, & incertis Hebræorum testibus superflua testimonia mendicemus? quasi non satis sint nobis locupletissimi, & fidelissimi testes, quos habemus. quis enim fidelior nobis testis esse potest, quam Deus ipse de filio suo? qui nõ per vatem, neque per interpretem, sed vltro cœlitus erupta voce, cum eum mitteret in terris, dixit: *Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene cõplaciet ipsum audite.* Nec non & ipse Christus dicit de se: *EXIVI A PATRE, & VENI IN MUNDUM: atque multa huiusmodi, ad quæ cum Iudæi dicerent: T V DE TE IPSE TESTIMONIUM PERHIBES, TESTIMONIUM TUUM NON EST VERUM: ipse respondit: E T SI EGO TESTIFICOR DE ME, TESTIMONIUM MEUM VERUM EST, QUIA NON SUM SOLUS. NAM & IN LEGE VESTRA SCRIPTUM EST: DUORUM HOMINUM TESTIMONIUM VERUM EST. EGO SUM QUI TESTIMONIUM TESTIFICOR DE ME, & TESTIFICATUR DE ME QUI MISIT ME PATER.* Non autem dixit propheta, sed Pater. Ad hæc & opera sua sibi in testimonium vocat: *SI MIHI NON CREDITIS (dicens) OPERIBUS CREDITE.* Non dixit, Si mihi non creditis, prophetis credite. Quapropter cum testem habeamus patrem, & filium, externis testimonijs non indigemus ad fidem.

Mat. 17, 5.

Ioan. 16, 28. Ioan. 8, 13, 14.

Deut. 17, 6, & 19, 55.

Ioan. 10, 31.

Ex Aug. lib. 16. cõ. Fau. c. 2. cõ. adu. leg. lib. 2. ca. 4.

Ioan. 10, 8.

4. DEINDE, quomodo ad exëplar honestæ vitæ possumus eos legere, quorũ flagitia nouimus tam aperte à Christo fuisse dånata? ipse enim saluator, omnium simul prophetarum vitam, moresq; vnica sententia perstringens, latrones, & fures eos appellauit, inquit: *OMNES QUOTQUOT ANTE ME VENERUNT, FURES SUNT, & LATRONES.*

DILVTIO OBIECTORVM.

Aug. lib. 13. cõ Fau. cap. 43. & 46. Rom. 10, 14.

1. DEMENTISSIMI hominis est, dicere, inertis esse, fidei sine teste non credere. quomodo enim ad nos notitia Christi sine homi-

ne teste peruenire potest? quomodo enim credent ei, quem non audierunt? & quomodo audient sine predicante? Quare cum dicimus simplicem fidem Christiano necessariam, non persuademus testimonijs veteris testamenti non esse credendum, sed monemus simplici fide prius nutriri oportere mentem Christianam, vt ea capax reddatur ad intelligendum superna, sic enim ait propheta: *NISI CREDIDERITIS, NON INTELLIGETIS.* Hæc est simplex illa fides, qua credimus antè, quàm cognoscamus *super eminentem scientiam Charitatis Christi, in quo sunt omnes thesauri sapientie, & scientie Dei absconditi*, qui nulli aperiuntur, si sibi per maternam carnem traiectum cibum, id est, per apostolica, & prophetica vbera lactis alimenta contempserit, & tanquam infantilem victũ, quasi prægrandi ætate fastidians, prius in venena hæreticorum, quàm in sapietiam, cui se idoneum arbitratur, irruerit.

In Christi sine teste credi nõ potest.

Esa. 7. iuxta 70. Eph. 3, 13. Col. 2, 3.

2. Quid autem contendunt, Hebræorum prophetas nec ante, nec post fidem prodesse, quærentes, quisnam Gentili, qui neque Christo, neque prophetis credit de scripturis, prophetarum faciet fidem? facile refellimus, dicentes ipsam sibi prophetarum scripturam cõciliare fidem, suamq; ipsius apud omnes gẽtes auctoritatem commendare, dum omnia ea, quæ per tẽporum successiones euenerunt tanto ante quam fierent fieda prænucliauit: atq; ea præsertim, quæ nouissimis istis diebus cõpleta fuisse Gentiles ipsi & sciunt, & fatentur. veluti de Christiane religionis propagatione, quam ipsi videt, & de persecutionibus cõtra eam a regibus excitatis, quarum frequẽs memoria in historijs Gentilium extat, & imperatorum leges eorum literis mandata testantur. item de imperatorum fide, & saluberrima seruitute sub Christo, & de Christi nomine longè, lateque in omnes gentes diffuso, de idolorum abolitione, & Iudæorum cæcitate, & captiuitate. quæ omnia si ex prophetarum scripturis, ante quam ista facta fuissent, Gentili ingererem, vt ea crederet, quæ nondum facta videret, merito fortasse diceret: *Quid mihi cum istis scripturis, quas vnde veraces probem nõ mihi ostenditur? Cum verò tam magna, & tam multa, quæ dixerunt iam ad effectũ manifestationem perducta sint, planè ille, si peruersus esse nollet, nec ista vlllo modo conteneret, que tanto ante tẽpore, ac tanto apparatu præuidendo, ac prænucliaando commendari meruerunt. nullis enim prudentius credimus, vel de præteritis, quæ olim facta sunt, vel de futuris, quæ nõdum facta sunt, quam eis, qui nobis fidem verborum suorum in tam multis ac magnis, que ab eis prædicta, iam facta sunt, probauerunt. Sunt igitur prophetica scripturæ ante fidem in Christum Gentilibus vtilis.*

Aug. lib. 13. cõ. Fau. c. 14.

Prophetarum scriptura ipsa libi cõciliat fidem.

Gentilis Prophetarum scripturis quare ratione credit antequam credat.

Sed nec post fidem propterea superuacua sunt, quia iam credimus. alioquin oporteret illos, qui credunt, libros omnes abijcere per quos factum est vt crederent. nam si hoc verũ sit, cur vel ipsum euangeliũ à Christi fidelibus legatur non video: ante fidem quippe inutile est: quia Gẽtilis ille, quem Manichæi inducunt, non credit in Christum: post fidem verò, superuacuum, si etiã veris de Christo præconijs iam super

Aug. lib. 13. cõ. Fau. c. 18. Post fidem receptã quomodo vtilis sint Prophetarum scriptura.

superuacue creditur, cum in eum creditum fuerit, Hic forte dicent: Sed euangelium debet legere iam fidelis, ne obliuiscatur, quod credit. Sic ergo, o infani, etiam prophetarum vera testimonia legere debet, ne obliuiscatur quare crediderit. quod si oblitus fuerit, firmum apud eum non poterit esse, quod credit.

Ex An. li. 12.
cō. Fau. c. 45.

Cui post Patris & filij vocem Prophetarum voces audiamur causa.

3. I AM vero cum quærunt, cur post Patris & filij testimonium, externa Iudæorum, testimonia sequimur? respondemus, non hoc à nobis fieri, quia Christi testimonio sine alio teste non credamus, vel quod aliorum testimonia Christi testimonio præferamus, sed quia nos ad hoc duplex causa impellit: PRIMA quidem, ut sciamus, quare his credidimus, qui nobis ea, quæ nunc credimus, tradiderunt, & hoc scientes stabilius fide eorum, quæ nobis tradiderunt firmemur. cum enim nos nec vocem illam Patris de cælo allatam audierimus, nec opera Christi viderimus, testimonio eorum, qui ea viderant, & audierant indigebamus: ut ex eorum prædicatione talia Christum fecisse audiremus & audientes, in Christum nobis antea incognitum crederemus. atque hac de causa Apostolorum prædicatione in omnes facta est, quæ ne ab hominibus contemneretur, & fabulosa putaretur, necessaria fuerunt apostolis prophetarum vaticinia, ac testimonia, quibus demonstrarent ea, quæ ipsi prædicabāt, longè antea à prophetis fuisse prædicta. nã et si Apostolorum prædicationi miracula ab ijs edita attestarentur, non defuissent tamen quidam (sicut etiam nunc adhuc quidam mustitāt) qui magicæ potentiæ cuncta illa tribuerent, nisi talis eorum cogitatio contestatione prophetica vinceretur. magicis enim artibus. longe antè, quam nascerentur prophetas sibi constituisse, à quibus eorum prædicatione prænunderetur, nemo utique diceret. Hæc igitur vna causa est.

2. Causa.

ALTERA verò est, ut veterum testimoniorum autoritate, omnes infideles tam Hebræos, quàm Gentiles, aut non renitentes ad amplectendam Christi fidem suauiter inuitemus, vel renitentes eos, & contra dicentes, fortiter propulsemus: Hebræos quidem, dum illis ea, quæ credimus non à nobis tãquam post rerum euentum commonitis fuisse conscripta ostendimus, sed per eorum codices probamus à prophetis eorum apertissimè probata fuisse: Gentiles verò, dum ex nostrorum hostium libris tanta ab eis diligentia seruatis, ut à nobis vitari non potuerint, tanto iam antea tempore prænunderata ostendimus, quæ Gentiles ipsi iam cõpleta vident, de vocatione scilicet gētium ad Christum, de euersione idolorum, de ecclesiæ persecutionibus, quas Gentilium historiae describunt, & de excellentia Ecclesiæ nostræ, ceterisque huiusmodi, que ipsi præ oculis habent, & etiam, si velint, negare non possunt.

Ioan. 10, 8.

Aug. lib. 1.
cō. aud. leg. c. 4.
Ier. 14, 15.

4. ILLVD quoque malignè addunt, dixisse dominum: OMNES, qui ante me venerunt, fures sunt & latrones non enim ita scriptum est, sed ita: OMNES quotquot venerunt, fures sunt, & latrones. Venisse quippe hoc loco intelligi voluit eos, qui missi non fuissent, quos arguit etiam Ieremias, dicens: Hæc dicit Dominus de prophetis, qui prophetant in nomine meo, & ego nõ mittebam eos, illi

A autem, quos infani isti blasphemant, à domino missi sunt, non sponte venerunt. Veli scriptum sit: Omnes quotquot ante me venerunt, fures sunt, & latrones: prout Græcus nunc habet πάντες ὅσοι ἔμπροσθέν μου ἦλθον. ante quippe venisse vult intelligi eos, qui non cum eo venerunt, sed antè per superbiam præcedere voluerunt: & cū Christo, id est, cum verbo Dei venire noluerunt, sed cum eos non miserit Deus mendacia sua hominibus attulerunt, Sancti verò prophetæ non ante Christum, sed cum Christo venerunt, quia non eum per superbiam præcedere voluerunt, sed eum per ipsos loquentem humiliter portauerunt.

Qui sunt illi quos fures & latrones Dominus vocat. Aug. lib. 10. cō. Fau. c. 12.

Propheta venerunt cū Christo non ante Christum.

DE LIBRO PSALMORVM HÆRESIS V.

LIBRUM Psalmorum falsò Davidis nomine inscriptum, & absque ullo prophetico spiritu cõditum, præter humanas quasdam secularium poetarum cantilenas, nihil aliud continere.

ASSERTORES HVIVS HÆRESEOS.

PHILASTRIVS in catalogo hæreseon, at tribuit hanc hæresim Nicolaitis, Gnosticis, & Manichæis, qui etiam dixerunt Davidem non fuisse Christi prophetam, & diuinarum scripturarum scriptorem, sed humanæ ac secularis cationis compositorum. in epistola vero Cõcilij Antiocheni, quæ habetur lib. 7. hist. eccle. idem error Paulo Samosateno ascribitur his verbis: Paulus Samosatenus psalmos qui in dominum nostrum Iesum Christum dicebantur, cessare fecit, velut neotericos, & nuper inuentos: à semetipso verò compositos, diebus Paschæ, in medio Ecclesiæ canere mulieres iussit, maxime, quas ipse prius ad canendum instituerat, ita ut horresceret si quis audiret. Theodorus quoque mopsuestites (ut in actis Quintæ Synodi annotatur) nihil esse de Christo in Psalmis scriptum affirmavit. Postremo Anabatistæ nostrorum temporum, hanc hæresim iterum suscitauerunt, asseuerantes Psalmos neq; à Dauide neq; ab aliquo sancto viro diuinitus cõditos, sed à recentioribus quibusdam Iudæorum magistris post Christi aduentum compositos & diris multis, & imprecationibus in Christum. & Christianorum gentem repletos, ut haberet Hebræi ad captiuitatis solatiũ cantilenas nonnullas, quibus publicè in synagogis suis conuenientes, orando, & canendo, eorum hostibus calamitates, & exitium imprecarentur.

Cap. 127.

Euseb. lib. 7. hist. eccl. c. 25.

Tho. Aquin. in præf. Psal.

IMPUGNATIO.

DVO ab hæreticis dicuntur, quorum primum est: librũ Psalmorum falsò Davidis prophetæ nomine prænotari. Cuius leuissimæ sententiæ vanitatem grauißima diuinæ scripturæ testimonia conterunt. legimus enim, a primis Davidem admirabilem psaltem fuisse, & ob hanc causam à rege Saule accitum, ut ægrum eius animũ modulatis ad cytharam carminibus deliniret, & cùm arca adueheretur

David fuit egregius psaltes.

1. Reg. 16, 18.

2. Reg. 6, 5. in

- in Hierusalem, legimus eum in organis cecinisse hymnos ante Dominum, Vnde in libris Regum de eo scriptum est: *Dixit vir, cui constitutum est de Christo Dei Jacob, egregius psaltes Israël.* Quod autem psalmos ediderit, ac dederit cantandos in templo domini, primus liber Annalium testatur, commemorans Dauidem posuisse in templo *quatuor millia psaltes, canentes domino in organis, elegisseque ex eis potissimum filios Asaph, & Heman, & Idithum, qui iuxta eum in templo canerent cantica in cytharis, psalterijs, & cymbalis.* Inueniuntur etiam psalmi in multis sanctæ Scripturæ libris psalmi quamplures ex hoc libro psalmodum Particulariter sub nomine Dauidis citati: ita ut negari non possit, librum eius esse, cuius nomine inscribitur: In secundo Regum volumine, b recitatur integer psalmus ex ore Dauidis, qui in libro psalmodum decimus septimus numeratur. & in primo Annalium c refertur similiter totus psalmus ceterimus quartus, quem Dauid cum arca reduceretur, dedit cantandum Asaph principi cantorum. & in 1. li. Esdra d scribitur post tēpli instantiationem, Leuitas filios Asaph, *in cymbalis laudasse Deum, per manus Dauid regis, hoc est, per psalmos à Dauide conditos, & ex his nominatim cecinisse illos, quibus est initium, CONFITEMINI Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius, hoc est ceterimum quintum, 306. & 117. & 135. omnes ab hoc vno carmine incipientes.* & in nouo testamento Christus ex hoc libro sub nomine Dauidis psalmum cix. contra Phariseos produxit dicens: *QVOMODO ergo Dauid in spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* quæ verba ne quis suspicetur à saluatore nostro de alio potius Dauidis libro citari, quam de isto, Lucas addidit; *Ipse Dauid dicit in libro Psalmodum: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, & c.* & Petrus in Actibus psalmum xv. huius libri Dauidi ascripsit, inquiens: *DAVID dicit in libro psalmodum: Prouidebam dominum, in conspectu meo semper.* cuius etiam Dauidis Apostoli psalmum secundum esse testati sunt, dicentes: *DOMINE, qui Spiritu sancto per os patris nostri Dauid pueri tui dixisti: Quare fremuerunt gentes? quem psalmum Paulus nominatim secundum appellauit, inquiens: SICUT scriptum est in psalmo secundo: FILIVS meus es tu: ego hodie genui te.* & alibi idem Apostolus k psalmum xxxi. & similiter psalmum lxxviii. Dauidis Iesse testatus est. Manifestum est etiã ex nonnullis inscriptionibus, quibus psalmi quidam huius libri prænotantur, dauidem præter iam dictos psalmos, etiam multos alios ore proprio decantasse, videlicet eos, quorum argumenta & historia in libris Regum leguntur: ut sunt psalmus tertius, cui præponitur titulus: *PSALMVS Dauid cum fugeret à facie Absalon filij sui.* cuius historia scribitur in secundo Regum. m & psalmus xxvii. argumenti consimilis, ad titulatus, *PSALMVS Dauid, quando fugiens à facie Absalonis ascendebat. Clinum, oliuarum nudis pedibus, & operto capite.* & psalmus xxxii. habens pro titulo, *PSALMVS Dauid, cum imprutaisset vultum suum coram Abimelech, &*
- A** *ieiecit eum, & dimissus abiit, cuius argumentum habetur in primo volumine Regum. ite psalmus quinquagesimus, & li. atque alij complures, quorum occasiones in libris Regum & Annalium referuntur.*
- S** E C V N D V M ab hæreticis assertum est, vniuersum hunc librum sine vilo prophetico spiritu conditum, nihil in se diuinum continere. Cuius stoliditatem ceteri diuinæ scripturæ libri redarguunt, præsertim vero libri Regum, in quibus ipsemet Dauid aperta voce prædicat se spiritu sancto afflatum, vt venturum Christum præcineret, inquiens: *DIXIT, vir, cui constitutum est de Christo, egregius psaltes Israël: spiritus Domini locutus est per me, & sermo eius per linguam meam. dixit Deus Israël mihi, locutus fortis Israël, dominator hominum, iustus, dominator in timore Dei, quod saluator noster confirmavit, cum ad Iudæos diceret: QVOMODO ergo Dauid vocat eum in spiritu dominum, dicens: Dixit dominus & c.* Et post resurrectionem suam, cum sena Scripturarum discipulis suis aperiret, testatus est Spiritum sanctum in libro psalmodum de vita, passione, morte, & resurrectione sua, & prædicatione euangelij fuisse locutum, & apostoli Dauidem huius libri autorem prophetam appellant, & eius vaticinia tanquam prophetæ veridici vbique producant. **P** R O P H E T A, inquit Petrus, *cum esset, & sciret, quia iureiurando iurasset ei Deus & c. & apostoli in Actibus, DOMINE, qui spiritu sancto per os pueri tui Dauid locutus es. & Paulus, P D A B O vobis sancta Dauid fidelia, hoc est, dabo vobis vt agnoscatis sancta dauidis vaticinia fuisse fidelia.* Cæterum, etsi dubium fuerit apud patres catholicos, vt Augustinus libro decimo septimo de ciuitate dei scribit, num omnes psalmi huius libri à dauide sint editi, vel an plerique ex his compositi sint ab aliquibus sanctis viris, quos dauid ordinauerat psaltes in templo dei, videlicet ab Asaph, Heman, Idithum, Chore, & filijs eorum, quia multi psalmi eorum nominibus prænotantur, credere tamen oportet etiam illos, cuiuscumque fuerint, à spiritu sancto fuisse dictatos. Scriptum est enim in primo libro Annalium, omnes cantores illos, videlicet Asaph, Heman, Idithum, Chore, Moysen, ac filios eorum fuisse prophetas, ac doctores sanctos in templo dei. vnde ipsorum psalmos Christus, & Apostoli tanquam spiritu prophetico editos approbarunt, & de ipsorum autoritate prædicationem suam firmarunt. de psalmis Asaph inscriptis, inuenimus saluatorem nostrum citasse illud psalmi octogesi primi, *Q E G O dixi, dij estis.* & Mattheu similiter ipsum Asaph appellasse prophetam, cum producto psalmi eius versiculo dicit: *HÆC omnia locutus est Iesus in parabolis, vt adimpleretur quod dictum est per prophetam dicentem: Aperiã in parabolis os meũ.* de psalmis Moyse inscriptis, Paulus testimoniũ sumpsit dicens: *SICUT dicit Spiritus sanctus: Hodie si vocẽ eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, & de psalmis Chore attitulatis, idẽ Apostolus testimonium illud accepit: T H R O N V S tuus Deus in seculum seculi.* Ex quibus omnibus euidenter apparet, psalmos omnes à Spiritu sancto conditos, & per os

David vero per spiritum s. psalmos ceciderit.

1. Reg. 23. 1.

Mat. 22, 33.

Luc. 24, 46.

Act. 2, 30.

Act. 4, 25.

Act. 3, 34.

Cap. 14.

Alij qui feruntur in psalmodum auctores sancti viri fuerunt.

3. Par. 25, 1.

7.

Ioann. 10, 34.

Psal. 81, 6.

Mat. 13, 34.

Psal. 77, 2.

Heb. 3, 7.

Psal. 94, 8.

Psal. 44, 7.

Hebr. 1, 8.

cur nomine
Davidis in-
scribatur.

os Davidis & cantorum eius cantatos. Inscribitur autem præfens Psalmodum Liber nomine Davidis prophetæ, vel quia prima, & nobilior libri pars à David per semetipsum composita sit, vel quòd Davide suggerente materiam psalmodum cantoribus suis, maior libri pars ab eis conscripta, & cantata fuerit.

OBIECTIONES HÆRETICORVM.

1. QUI librum psalmodum Davidis esse affirmant, nulla (inquiunt Anabaptistæ) certa coniectura ducuntur. nam neque libri inscriptio id ostendit, in qua nomen David non ponitur, neq; in tota sancta Scriptura sit vnquam mentio de auctore huius voluminis: neque legitur vnquam psalmum vllum à Davide fuisse compositum præter vnicum tantum, cum Deus liberasset eum de manu Saulis, cuius initium est. **DOMINVS PETRA MEA**, qui in 2. lib. Regum scriptus est. & de hoc vnico psalmo, an verè eius sit, vix constat, eò quòd aliter de ipso sentiat Liber psalmodum, & aliter Regum secundus, in quo scribitur huc psalmum fuisse nouissimum omnium verborum, quæ dixit David: in libro verò psalmodum scribitur postremum omnium psalmodum Davidis fuisse eum, qui ponitur in numero septuagesimus secundus, in cuius calce scriptum est: **FINITÆ sunt orationes David filij Isai.**

2. Rec. 12. 2.
Psal. 17. 1.
c. Cap. 23. 1.

Psal. 72, 20.

Multi Psalmodi
post Davidis
tempora cõditis
reperiuntur.

2. **SUNT** deinde in hoc libro Psalmodi quamplurimi, quos nec à Davide, nec Davidis tempore fuisse compositos compertum est, tum ex inscriptionibus eorum continentibus nomina virorum, qui multo post Davidis tempora fuerunt, tum ex his, quæ in eis referuntur multis post Davidem annis facta, sicut excidium Hierosolymitanum, de quo Psalmus septuagesimus tertius, tanquam de re iam præterita loquitur: & luctus captiuorum ad flumina Babylonis, qui psalmo 136. commemoratur: & reditus de captiuitate Babylonis in Hierusalem, de quo psalmus 125. vt iam completo loquitur. Quod etiam apertius indicant septem & quadraginta psalmodi, videlicet à centesimo vndecimo vsque ad finem libri psalmodum, qui **REVERSIONES** Aggæi, & Zachariæ inscribuntur, eo quòd per hos duos prophetas fuerint cantati pro reuersione filiorum Israël de Babylone in Hierusalem.

3. **HVC** accedit, quòd omnes ferè tam Iudæis, quàm Christiani auctores affirmant, maiorem partem huius voluminis non esse Davidis. R. David Kimki putat eos tantum psalmos esse Davidis, quibus præponitur titulus **לְדָוִד** hoc est, **IPSI DAVIDI**: alios verò esse eorum, quorum nomine intitulantur, quos Aben Ezra in dubium reuocans, dicit, incertum esse, an omnis Psalmus, cui præfigitur nomen **לְדָוִד** hoc est, ipsius Davidis sit, vel potius cantoris alicuius qui eum de Davide condiderit. Hieronymus quoque in epistola ad Cyprianum, **ERRANT**, inquit, qui arbitrantur omnes psalmos Davidis esse, & non eorum, quorum nominibus inscribuntur, vt David, Asaph, Idithun filiorum Core, Heman Ezraite, Mosi, & Salomo-

Psalmos non
esse Davidis
qui tradide-
runt.

nis, & reliquorum, quos Esdras primo volumine comprehendit. Aug. verò in præfat. 2. psalm. censet Davidem nouem tantum Psalmos cecinisse, alios verò quibus nomen eius præponitur, à cantoribus eius fuisse cantatos. Ioannes Chrysostr. in 2. psalmodum præfatione asserit, inscriptiones, quæ nunc Psalmodis præfiguntur, pro maiori parte esse falsas. quæ opinionum consensus fidem facit hunc librum non esse Davidis.

4. **QVO** autem nihil propheticum sit in hoc libro, ipsi Hebræi testantur, qui eum à prophetis scriptis excludunt. & vos etiam id ipsum confirmatis, dum libri auctorem facitis Davidem, qui propheta non fuit sed rex ad regni gubernationem assumptus. prophetæ enim in Scripturis dicuntur, qui ad prophetandi munus diuinitus vocati, vel ad regem, vel ad populum aliquem mittuntur cum publica officij dignitate, vt eis futura annuncient, vt Moyses ad Pharaonem, & Esaias, Ieremias, & alij prophetæ ad populum Israël: Davidem verò ad hanc prophetandi dignitatem nusquam legimus fuisse vocatum. Sed & ipsi huius libri Psalmodi clarissimè ostendunt nihil inueniri in hoc libro, quòd ad prophetiam pertineat. nam testimonia illa, quæ de Psalmodis tanquàm præfagia de Christo proferri solent, nulli minus conueniunt quam Christo. Quomodo enim attinent ad Christi crucifixionem verba illa, **FODERUNT manus meas**, & **DIVIDERUNT vestimenta mea**, quæ nullo modo ad Christum aptari possunt: nam præterquam quòd Hebræi aliter legunt ea verba dicentes: **SICVT leo manus meas**, & **pedes meos obseruauerunt**: etiam euidenter est Christum adactis per manus, ac pedes clavis non fuisse crucifixum: quia mos non fuit in Israël, vt rei, qui in ligno suspēdebatur, manibus, & pedibus clauo transfixis cruci affigerentur. ita præcipiente lege, vt suspēsi, & transfixi in cruce penderent. Itē quòd de psalmo decimo octauo sumitur: **IN**

Psal. 21. 17.
18.

Psal. 18, 5.

omnem terram exiuit sonus eorum, quomodo ad apostolorum prædicationum torqueri potest, cum de ipsis cælis secundum quandam poetice profopœiam expresse loquatur, quibus duobus testimonijs, si res attentius inspicatur, similia inueniuntur etiam alia testimonia, quæ maiores nostri ad Christi vaticinia retulerunt.

5. **SENTENTIÆ** præterea, & verba huius libri adeo abhorrent, à cuiusque pij hominis animo, vt appareat auctorem eius non fuisse diuinum, sed barbarum quendam, inhumanum, cædis, vltionis, ac sanguinis auidum, qui vbique aduersus hostes suos diras imprecationes, & execrationes immittat: **IUDICA**, inquit, **domine nocentes me, expugna impugnantes me, Effunde frumentum: & conclude aduersus eos, qui me persequuntur. Fiant tanquam puluis ante faciem veri, qui persequuntur me, & angelus demini coartans eos, Fiant vite illorum tenebra, & lubricum, & angelus domini persequens eos.** & **VENIAT mors super illos & descendant in infernum viuentes, & rursum, b FAC illis sicut Madian, & Sisara, & sicut Iabin, in torrente Cisson. dispereant & fiant sicut stercus terræ. Pone principes eorum sicut Oreb, & Zeb, & Zebbee, & Salmana, Deus meus pone eos vt rotam, & sicut**

Psal. 34. 1.

a Psal. 54, 16.

b Psal. 82, 9.

stipulam ante faciem venti, sicut ignis, qui comburit syluam, & sicut flamma comburens montes. Ita persequaris eos in tempestate tua, & in ira tua turbabis eos. Quibus indignationibus & maledictionibus ita omnes penè Psalmi pleni sunt, vt similitudinem gerant earum imprecationum, quibus Callimachus Apollonium Rhodium, & Ouidius Ibin suum deuouere.

DILVNTVR OBIECTA.

1. ADEO inepta sunt obiecta Anabaptistarum, vt superuacua quodam modo videatur responsio. Nam si liber ob hoc Dauidis esse negatur, quia eius non praferat inscriptionem, ergo neque Moses auctor erit quinque librorum legis, quia Moysi nomine aditulati non sunt. cuius rei oppositum docet Christus dicens: *MOYSES de me scripsit*, & id omnes tam Hebraei quam Christiani auctores confirmant. Et ne mirentur imperitissimi homines, quod nomen Dauidis libro huic non praeponatur, sciant apud Hebraeos diuina volumina varijs modis inscribi, vel ex nomine auctoris, vt liber Iosue: vel à prima libri dictione, vt liber Genesis, qui à prima eius dictione intitulumur בראשית *Beresith barah*, vel à materia in libro contenta, vt liber Regum, & praesens Psalmorum volumen, quod ab hymnis, & odis in ipso contentis, praetermisso auctoris nomine, ספר המלים *Sephertheillim*, hoc est, liber Psalmorum seu hymnorum, siue orationum appellatur: quem tamen librum Saluator noster Dauidis esse testatus est, quando ad scribas inquit, *IPSE Dauid dicit in libro Psalmorum: Dixit Dominus Domino meo.* & nos iam ostendimus omnium Psalmorum, qui in eo sunt, auctorem fuisse Dauidem, qui praeter Psalmos illos, quos ore proprio cecinit, cuncta argumenta aliorum Psalmorum, vt Augustinus, & Chrysostomus inquit, cantoribus illis suppeditauit, qui eos cecinerunt, eosque de suis nominibus inscripserunt, & accepta ipsorum argumenta carminibus explicauerunt. Confutantur autem, qui dicunt Dauidem vnum tantum Psalmum edidisse per eademmet verba, quae contra nos afferunt. si enim psalmus is, qui in secundo Regum volumine legitur, fuit nouissimus psalmorum, ergo oportuit ante eum plures alios psalmos à Dauide fuisse conditos: neque enim vltimus diceretur, nisi eum alij praecessissent. Quod autem post finem septuagesimi primi psalmi scriptum est: *FINITAE sunt orationes Dauid*, non ita intelligendum est, vt credamus ibi Psalmos Dauidis esse finitos, & illum esse postremum omnium Psalmorum, sed vt sciamus finitas esse eo loco orationes illas, quibus Deum deprecatus est pro salute ac regno filij sui Salomonis: Similiter de Psalmo libri Regum, sentiendum est, eum non fuisse nouissimum omnium Psalmorum Dauidis, sed eorum solummodo, quos is durante hostium suorum persecutione composuit.

Ioan. 5, 46.

Libris sacri varijs titulis praenotantur.

Luc. 10, 42, 43.

Aug. li. 17. de ciu. Dei c. 14. Chryl. secund. praef. in psalmos.

Dauid plures cecinit psalmos.

Aug. lib. 17. de ciu. Dei c. 14.

2. SECVNDÆ Anabaptistarum obiectioni de Psalmis, qui post Dauidis tempora conditi videntur, Aug. lib. 17. de ciuitate Dei respondet his verbis: *MHI*, inquit, *credibilis videtur exi-*

stimare, qui omnes istos psalmos operi Dauidis tribuunt, eūque aliquos pranotasse etiam nominibus aliorum, aliquid quod ad rem pertineat praefigurantibus. Neque mouere debet ad hoc non credendum, quod nonnulla prophetarum nomina, qui post tempora regis Dauid fuerunt, quibusdam Psalmis in eo libro leguntur inscripta, & quae ibi dicuntur velut ab eis dici videntur: potuit enim spiritus prophetanti Dauid haec etiam futurorum prophetarum nomina reuelare, sicut rex Iosias regnaturus post annos amplius quam trecentos, cuiusdam propheta cum suo nomine reuelatus est. Haec August. Sed inquit Anabaptistae ea, quae in Psalmis continentur non tanquam futura praenunciari, sed tanquam praeterita narrari. quibus D. Hierony. occurrit, inquit esse hoc in more positum apud prophetas, vt de futuris tanquam iam praeteritis ob prophetae certitudinem pronuncient.

3. AD tertiam obiectionem respondemus, tria in Psalmis considerari, inuentionem, dispositionem, & pronunciationem. Si inuentionem inspicimus, certum est, Dauidem materiam, & subiectum omnium Psalmorum adinuenisse, inuentamque cantoribus suis praebuisse, quemadmodum libri Regum, & Paralip. testantur. & Aben Ezra in praefatione psal. & August. 17. de ciuitate Dei, & Hieronymus, & Chrysostomus in praefat. psalmorum confirmant. Si de dispositione Psalmorum sermo est, recte sentiunt praedicti auctores non omnes Psalmos à Dauide per carmina & modulos fuisse dispositos, sed ab Asaph, Chore, Idithum, Mose, & Samuele filio eius, atque alijs cantoribus ad metra, & catus accommodatos, & ad diuersa musica instrumenta aptatos. Si verò de pronunciatione viuae vocis sermo est, optimè dixit Augustinus in secunda praefatione Psalmorum, Dauidem solummodo nouem Psalmos ore proprio cecinisse.

De titulis verò Psalmorum, quos Chrysostomus dixit esse falsatos, non est credendum, quod ipse putauerit veros titulos fuisse abrafatos. & in locū eorum alios falsos titulos subrogatos. sed quod magis existimauerit, titulos illos fuisse transpositos, & confuso historiae ordine permutatos, vt verba eius sequentia indicant, cum ait, *Esdras post captiuitatem Babylonicam hos Psalmos hinc inde dispersos in vnum volumē, praetermisso historiae ordine, collegisse. quod & ipsa libri Psalmorum series prodit. in qua psalmus tertius editus à Dauide cum fugeret à facie Absalon, praecedat psalmum trigesimum tertium, quem Dauid multis ante annis fecerat, cum dissimulata insania è manibus Abimelech aufugit.*

4. CVM autem addunt, Dauidem nec fuisse prophetam, nec Psalmos illi inscriptos esse diuinos, ipsi multo se Iudaeis deteriores ostendunt: qui quanquam non credant Psalmos de Salvatore nostro quicquam praenunciasse, credunt tamen Spiritum sanctum huius libri fuisse authorem. & licet eum non ponant inter prophetas, sed in principio librorum, quos *חלובים* *chelubim*, hoc est, *ἀγιογραφα*, vel sancta scripta nominant, non tamen negant, quin multa in eo propheticò spiritu scripta inueniantur, vt psalmum secundum, & psalmum quadragesimum quartum, & centesimum decimum, quos de Messia suo exponunt. Igitur ad ea vaticinia,

3. Reg. 13, u

Hier. in psal. 21.

Quomodo psalmi omnes à Dauide conditi sint & non conditi.

Tituli psalmorum quales.

cinia, quæ tanquam à nobis violenter detorta, hæretici vnà cum auctore libri Nizaon Iudæo calumniatur, respondemus, ea verba Psalmi vigesimi primi, **OBSERVAVERVNT** *ut leo manus meas*, ita legi apud Chaldæum transfatorem, qui vt ei visum est transtulit, sed in exemplari Hebræo legitur, **חַרְיִי אֵאָדַי** Charari iaadai, veraglai, hoc est, **FODERVNT manus meas, & pedes meos.** vnde translationem Chaldaicam tanquam Hebraicæ veritati repugnantem abijcimus. Nec quicquam nos mouet, quod lex non iusserit manus, & pedes damnatorum cruci infigi: quia cum illo tempore Iudæis potestas iudicandi esset per Romanos adempta, iam non exactè secundū Mo-

Cur præter legem Christus clavis affixus fuerit.

Rom. 10.

Apostoli cur celi dicatur.

Aug. ser. 11. de sanctis.

Iusti cur vindictam à Deo expectant.

saicam legem noxij puniebantur, sed vt præses Romanus, qui prouinciæ Iudæorum præerat, sententiam tulisset, sic pœnæ infligebantur. Vnde & Ioseph rogauit Pilatum, vt illi donaret corpus Iesu, quod tamen secundum legem ante Solis occasum erat deponendum. crurifragium quoque, & transfixio pectoris ex lege non sunt. atque eadem ratione & clauorum infixio. Verè itaque verba huius vaticinij in Christo impleta sunt, sicut etiam verba illa psalmi decimi octauo in Apostolis secundū mysticum, & allegoricū sensum verissimè impleta sunt, & à Paulo in epistola ad Romanos fidelissimè exposita. apostoli enim verissime celi sunt, qui per vniuersum orbem terrarū diuulgauerunt Solem iustitiæ Christum, & splendore eius omnem terram illustrauerunt.

5. DE imprecationibus, quæ in Psalmis leguntur, dicimus eas non esse malas, quia non ex odio, sed ex ardenti caritatis affectu nascuntur. hæc enim est consuetudo iustorum, vt vindictam de inimicis suis duobus modis petant, vel vt per vindictæ occasionem hi, qui prædestinati sunt ad vitam, conuertantur à malo ad bonum, vel vt hi, qui præsciente Deo damnandi sunt, moriantur, & peccare desistant, vt per hæc minorem pœnam in inferno habeant, vbi vnusquisque secundum qualitatem operum sustinebit magnitudinem pœnarum. quibus duobus modis etiam tertius additur, quò scilicet sancti mala imprecantur, non optantis voto, sed præuidentis intuitu, prænucciantes hominibus futura mala, vt postquam prænucciantia euenerint, sciant se homines non casu aut fortuna pati, sed certa Dei deliberatione, & consilio pati.

DE LIBRO DANIELIS Hæresis VI.

EX libro Danielis, qui sub nomine eius falso conscriptus est, multas fabulosas narrationes abscindere.

ASSERTORES HVIVS HÆRESEOS.

HANC hæresim de Manicheorum fontibus hautam, licet omnes Anabaptistæ vnimiter tueantur aliquantulum tamen circa eam inter se dissident. alij enim totum prorsus Danielis

Dan. 3.

A volumen tanquam supposititium falsumque reijciunt, alij verò ea tantum recipiunt, quæ Hebræi, Danielis esse credunt, & sola inter Agiographa computant, abiectis cæteris, quæ in Hebraicis codicibus non habentur: ceu sunt hymnus trium puerorum, Susannæ historia, Belis narratio, ac Danielis in lacum deiecti, & rapti Abacuch historia.

IMPUGNATIO.

EA omnia, quæ in libro Danielis ab ecclesia leguntur, verissima ostendunt infallibiles, certissimi que euentus earum rerum, quæ in ipso multis antea sæculis quàm euenirent prædicta inueniuntur. reliquit enim Daniel, vt inquit Iosephus, ex his, quæ scripsit, vnde eius prophetia integritas, & nulla mutatio, variatioque in his, quæ prædixit agnosci possit. non enim solum futura prædixit, quod omnibus prophetis commune est, sed etiam quo tempore, & quibus sub regibus, numeratis per ordinem annis ea euenire debuerant certissimè præuidit, cuius prophetiæ tanta fides fuit, vt incredulis hominibus non videatur futura dixisse, sed narrasse præterita. Nihil enim ferme de quatuor Monarchijs, Babylonum, Persarum, Græcorum, ac Romanorum in historijs gentium cõtinetur, quod non in libro Danielis ante sæcula plura prænucciatum legatur.

Siquidem illa, quæ de tribus prioribus Monarchijs vsque ad Antiochi illustris tempora idè propheta prædixit, etiam Gẽtiles, qui contra eius prophetias scripserunt, vniuersa verissimè completa facti sunt. Porphyrius enim, qui duodecimum ex quindecim libris suis contra Danielem scripsit, cum omnia fidelissimè quemadmodum prænucciantia fuerant impleta videret, attestantibus euentui Gentilium historijs, superatus historiæ veritate negare non potuit, Danielem saltem vsque ad Antiochi tempora verissimè pronucciasse. Quod autem de his, quæ post Antiochum euenerunt absque vlllo errore prophetauerit, cõdem gentium historiæ lucidissime ostendunt. vnde re-

ctè Hieronymus in præfatione commentariorum Danielis dixit, ad intelligendum hunc librum multiplici Græcorum & Latinorum historia opus esse, videlicet Suctorij, Callinici, Diodori, Hieronymi, Polybij, Posidonij, Claudij, Theonis, & Andronici, Iosephi quoque, & eorum quos ponit Iosephus, præcipuè verò nostri Liuij, & Pompei Trogi, atque Iustini, qui omnem extremæ visionis narrant historiam, & post Alexandrum vsque ad Cæsarem Augustum, Syriæ, & Ægypti, id est, Seleuci, & Antiochi, & Ptolemæorum bella describunt. Quæ omnia non solum contra hæreticos, sed contra infideles satis huius libri veritatem tuentur. His accedit cõsensus sacrorum voluminum tam veteris quàm noui testamenti, Danielis prophetiæ attestantium. In primo Macc. volumine Mathathias morti proximus, filios suos hortatur ad legis obseruantiam & eorumnarum tolerantiam, acceptis ex hoc libro exẽplis trium puerorum, qui de camino ignis ardentis liberati sunt, & Danielis, qui de ore Leonum saluatus est. & Christus apud

Danielis prophetia verissima ostenditur. lib. 10. antiq. cap. 13.

Hier. in præf. com. in Dan.

Beros. lib. 3. Chal. hist. Methast. li. 4. Indicorū. Diodorū. li. 2. col. norū. Phyllostrotus in Indicis & Phœnicij, historijs.

1. Macc. 2. 59. 60.

Matt. 24. 15. Dan. 9. 27.

Matthæum ex hoc libro excidium urbis, & A templi Hierosolymæ abominationem à Daniele prædictam denunciavit & Paulus ad Hebræos meminit historiæ trium puerorum, & Danielis in lacu Leonum, cum ait: *EXTINXERVNT impetum ignis, obturauerunt ora Leonum*: quibus testimonijs additur, quòd in omnibus diuinorum librorum catalogis per omnes Ecclesiarum successiones semper inter prophetas, Danielis volumen annumeratum fuit, & vnà cum hymno trium puerorum, & historia Susannæ, Belis, & Abacuch, in auctoritate receptum. Hymnum siquidem trium puerorum vsque ab initio nascentis Ecclesie semper in omni solemnitate in sacris fidelium conuentibus fuisse cantatum, testantur Ruffinus libro secundo aduersus Hieronymum, & Augustinus sermone de sanctis quadragesimo septimo. Susannæ verò historiam Ignatius martyr in epistola ad Magnesianos laudat, & Ruffinus prædicto iam libro affirmat eandem historiam per quadringentos annos ante ipsum ad exemplar castitatis, & pudicitie nuptis, & innuptis in ecclesijs lectam. & Origenes homilia prima super Leuiticum, Susannæ historiam approbans inquit: *SEd tempus est aduersus improbos uti Susanna vocibus, quas illi iam repudiantes, historiam de catalogo diuinorum voluminum desecuerunt, Nos autem & suscipimus, & oportune contra ipsos proferimus*: ANGVSTIÆ MIHI SVNT VNDIQVE. Ecclesia vero quotannis hæc historiam quadragesimæ tempore in sanctis Missæ mysterijs legit, ac simili honore historiam Belis, Draconis, & Abacuch discophori eodem tempore legens veneratur.

OBJECTIONES HÆRETICORVM.

I. PRINCIPIO satis constat, Danielem cuius gesta, & visiones præsentis volumine referuntur, non esse Danielem illum, qui inter sanctos viros, ac prophetas in quibusdam sanctæ scripturæ locis memoratur, sed alium quempiam, qui sibi nomen eius falsò usurpauerit, cui nullatenus accommodari possint, quæ de propheta Daniele scripsit Ezechiel qui cum prophetaret anno sexto Ioachim regis Iuda recensuit Danielem prophetam inter viros prouectioris ætatis ac natu iam grandes, & inter viros coniugatos, filios, & filias habentes computauit. At Danielem de quo hic liber loquitur, eodem anno Ioachim regis Iuda puerum adhuc fuisse, & cum tribus pueris Anania, Azaria, & Misaele Chaldæorum literis eruditum, primum huius voluminis capitulum commemorat, & inter regios Eunuchos enumerat. & Hieron. lib. 1. aduersus Iouinianum, spadonem illum fuisse confirmat, impletumq; in eo vaticinium Esaiæ, quod protulit super Ezechiam regem dicens: *DE filijs tuis, qui nascentur ex te, tollent, & facient Eunuchos in domo regis*. Alius igitur est Daniel huius libri auctor ab eo, qui inter prophetas nominatur. quod etiam, Ruffino teste, sensisse visus est Hieron. dum in præfatione Danielis lectores admonuit, librum hunc, apud Hebræos inter propheticos libros non haberi,

2. APPARET etiam librum hunc non à propheta Daniele, sed ab incerto auctore post tempora Antiochi conscriptum. qui non futura prædixerit, sed iam præterita narrauerit. cuius rei argumentum est, quod visiones de leone, vrsò, & pardo, rebus à Nabuchodonosor vsque ad Antiochum illustrem gestis, respondent: sed in his, quæ post Antiochum vsque ad hæc nostra tempora prædixit, quoniam vates non erat, se ipsum, atque alios, qui ei crediderunt, fefellit. Nihil enim adhuc impletum est de his, quæ de quarta Bestia, hoc est, de quarta Romanorum monarchia præuidit, describès decem cornua, hoc est, decem reges vno eodemque tempore in regno Romano sessuros, & statim aliud paruum cornu, hoc est, paruum regem ascensurum, & tres ex illis regibus euersurum.

3. INDICAT præterea diuersi voluminis phrasis non Danielem, sed Græculum quendam Iudæis amicum, fuisse libri auctorem, qui tametsi tam Chaldæum, quàm Hebræum sermonem quòd facilius imposeret lectori, egregie mentitus sit, non tamen potuit tam diu imposturam celare, quin tādē in calce ferè voluminis se proderet Græcū, cum Danielē Græcis allusionibus presbyteris respondentē induxit, deductis verbo *σχίσαι*, hoc est, scindere, à dictione *σχίσις*, id est, lentisco, & verbo *πρίσις*, id est, secare à nomine *πρίσις*, hoc est, ilice: quæ etymologiæ, nec Hebrææ, neque Chaldææ linguæ coaptari possunt.

4. SED vt cūque de auctore huius libri credatur, negari certè non potest magnam huius voluminis partem fuisse confictam: veluti id quod de adoratione Danielis in eo legitur. Nā esto, impossibile non fuerit, vt Nabuchodonosor talis ac tātus rex Eunuchum seruum suum adorauerit, quod vix credi potest, tamen credere nephas est, Danielem virum bonum, passum adorari se ac tanquam Deum sacrificio adhibito à potentissimo rege suo coli, cum Paulus eundem honorem à Lycaonibus, qui sibi sacrificare volebant, scissis vestibus fuerit execratus: & angelus Ioannem ad genua eius procumbentem increpauerit, dicens: *NE feceris, quoniam conseruus tuus sum*. similiter & hymnus trium puerorum suspectus est, nam vltra id quod verisimile non est tres pueros tantum otij habuisse, vt in medijs flammis hexametris luderent, & omnia elementa per ordinem ad Dei laudem inuocarent, etiam nullibi in Hebræis exemplaribus inuenitur.

5. IN SVPER historiam Susannæ, quam ab auctore Græco scriptam indicant prædictæ ilicis & lentisci etymologiæ, vetustissimi ecclesie patres vt confictam rejiciunt, & Eusebius libro sexto ecclesiasticæ historiæ Origenis, & Iulij Africani de hac historia sententiam refert his verbis: *PER idem tempus errat etiam Africanus vir in Scripturis ecclesiasticis nobilis. huius epistola fertur ad Origenem scripta obycientis ei vel proponentis, quòd historia Susannæ, quæ in Daniele scripta est, ficta videatur, & aliena à Scriptura prophetica, cui Origenes magnificentissimè rescribens, asserit, nequaquam Iudæorum commentis, & fraudibus auscultandum, sed hoc solum pro vero habendum in Scripturis diuinis, quod Lxx.*

inter

Trium puerorum hymnus semper in Ecclesia decantatus.

Hier. in præf. com. in Dan.

Dan. 7, 23, 24.

Dan. 13, 55, 59.

Dan. 2, 36.

Act. 14, 12, 13.

Apo. 19, 10.

interpretes transtulissent. nam id esse solum, quod auctoritate apostolica confirmatum sit. Quibus verbis apparet, Africanum putasse historiam hanc Græci cuiusdam commentum, Origenem verò eandem existimasse Iudæi alicuius Symmachi fortè, vel Theodotionis fraudem fuisse. Præter hæc, etiam tempus iudicij Susannæ cum ætate pueri Danielis non cõuenit. Susannæ siquidem factum, vt scribitur in calce 13. capituli contigit post mortem Astyagis Medorum ac Persarum regis, regnante Cyro, qui Astyagis regnum suscepit. quo quidem tempore, vt ex eodem libro constat, Daniel non puer erat, vt in iudicio Susannæ inducitur, sed iam sexagenario maior apud Cyrum in honore viuebat.

Dan. 13, 65.

6. SED super omnia Belis destructio, & Abacuch translatio ad Danielelem in lacu Leonum fabulosæ sunt. Nam præterquam quòd Draco ille ad imitationem Cretensis Minotauri offa picis fingitur interfectus: & sacerdotum fraus deprehensa cineris insperione, quod sine vlllo prophetico spiritu à quocunque vel mediocris ingenij homine fieri potuit, hoc etiam accedit, quòd auctor fabulæ sibi ipsi non constat. qui cum prius dixisset, Danielelem vnã tantum noctem fuisse in lacu, & inde mane primo à Rege detractum, postea parum sui memor, scribit eum continuis septem diebus in lacu permanisse, & à propheta Abacuch prandio refectum, si tamen credere dignum est, hominem graui corpore de Iudæa in Chaldæam tanta terrarum spacia in momento temporis permensum cum nihil vnquam simile in Scripturis factum legatur.

Dan. 6, 17, 19.

Dan. 14, 30.

7. QUAPROPTER prudentissimè Iosephus huiusmodi narrationes cum Danielis gesta in decimo antiquitatum libro perscriberet, tanquam fabulosas omisit. & Hieronymus in præfatione Danielis eas fabulas appellauit, & velut lectu indignas, obelo, seu veru iugulante transfixit, & à reliquo Danielis volumine detruncavit, & assumpta argumentis Iudæi persona, multis argumentis illas confutauit. Ei in præfatione commentariorum in Danielelem, irridens harum fabularum defensores, M I R O R, inquit, quosdam uerbois, id est, querulos, indignari mihi, quasi ego detruncauerim librum, cum & Origenes, & Eusebius, & Apollinarius, alique ecclesiastici viri, & doctores Græci, has, vt dixi, visiones non haberi apud Hebræos fateantur, nec se debere respondere Porphyrio pro his, quæ nullam sanctæ Scripturæ auctoritatem præberent.

DISSOLVTIO OBIECTORVM.

R V M.

Cur Daniel inter senes ab Ezechiele sit numeratus.

Ezec. 114, 1.

PRIMUM quod ab Anabaptistis afferatur argumentum, D. Hieronymus libro primo aduersus Iouinianum dissoluit his verbis: Dicimus Ezechielem Danielis non viri, sed adhuc pueri meminisse. Si verò aliquis illud opposuerit, quod in Ezechiele dicitur, Nohe, & Daniel, & Iob in terra peccatrice filios & filias suas liberare non posse: respondendum est, quòd iuxta hypothesim dictum sit, nec enim eo tempore Nohe, & Iob erant, quos

multis ante sæculis fuisse cognouimus, & est sensus. si tales, & tales viri fuerint in terra peccatrice, filios suos, & filias suas liberare non poterunt. Annumeratur autem puer Daniel inter duos grandæuos viros, vel quia adhuc puer notus erat populo, aut propter interpretationem somniorum regis, aut propter Susannæ liberationem, & occisionem presbyterorum. Annumeratur etiam inter viros illos coniugatos, non quòd coniugem & filios habuerit, sed quia tres illi viri, vt idem Hieronymus libro quarto in Ezechielem, & R. Kimki super decimum quartum caput Ezechielis existimant, magnam præ cæteris calamitatem ac fælicitatem in tribus diuersis statibus experti sunt. Nohe vidit sæculi prosperitatem ante diluuium, ruinam in diluuiò, & reparationem eius post diluuium. Vidit Iob fælicitatè suam, deinde vidit filiorum, ac omnium bonorum suorum interitum, & rursus vidit se restitutum. Vidit se Daniel in regia regni sui clarum ante captiuitatem, vidit deinde se captiuum, & post captiuitatem vidit se ad regnum sublimatum. Quod autem Ruffinus Hieronymo obiecit, eum negasse, Danielelem esse prophetam, abundè ipsemet Hieronymus confutauit, ostendens se Danielelem nunquam negasse prophetam, quem statim in frôte prologi prophetam esse confessus fuerat, sed tantum se, quod Hebræi dicerent, indicasse.

Dan. & alij tres vite conditiones experti.

2. SECUNDO Anabaptistarum argumento, quod ex lib. duodecimo Porphyrij, teste Hieronymo, sumptum est, idem beatus pater septimo in Danielelem capite satisfecit his verbis: ERGO dicamus, quod omnes scriptores ecclesiastici tradiderunt: in consumatione mundi, quando regnum destruendum est Romanorum, decem futuros reges, qui orbem Romanum inter se diuidant, & undecimum surrecturum esse regem paruulum, qui tres reges de decem regibus superaturus sit, id est, Aegyptiorum regem, & Africa, & Ethiopia: sicut in consequentibus manifestius dicemus. quibus interfectis, & alij septem reges victori colla submittent. Hæc Hieronymus de Danielis sententia: cui conformia sunt, quæ in Apocalypsi scribuntur de bestia habente decem cornua, vbi sic angelus visionem illam Danielis exposuit, dicens: DECIM cornua, quæ vidisti, decem reges sunt, qui regnum nondum acceperunt, sed potestatem tanquam reges una hora accipient, &c. Nec desunt, qui per denarium numerum regum, magnum & indeterminatum numerum intelligant. iuxta illud Numeri decimoquarto: TENTA VERVNT me iam per decem vices. per cornu verò paruulum, regnum Antichristi, quod Christus in consumatione sæculi destruet. Cùm igitur tot modis refelli queat Porphyrij calumnia, nulla nos necessitas cogit, vt librum Danielis post Antiochi tempora scriptum suscepimus: præsertim cùm scribat Iosephus, Alexandro Magno, qui Antiochum præcessit, ingresso Hierosolymam, allatum fuisse à sacerdotibus, Danielis volumen: in quo scriptum esset, quendam Græcorum regem perditurum Persarum potentiam, gauisumque summopere Alexandrum, quia se ipsum esse, quem scriptura significabat, arbitratus sit.

Hier. in præf. com. in Dan.

Explicatio loci Danielis de cornibus.

Apo. 17, 12.

Nu. 14, 22.

Iosephi. 11. cap. 8.

Vide Benedi-
cti Pererium
li. 16. cōment.
in Danielē &
Rober. Bellar.
lib. 1. de verbo
Dei cap. 9.

3. I AM quod de etymologijs *αξιου κ) ωπλις* inducunt, nihil probat, fatemur enim historiam Susannæ, cuius ea verba sunt, vt Hieronymus, & patres omnes testantur, nec in Hebraico legi codice, nec ab Hebræo scriptore, sed à pio quodam Græco iuxta facti veritatem Græco sermone scriptam, deinde verò Apostolicæ Ecclesiæ iudicio additam sub finem libri Danielis, tanquam rem tali propheta dignam.

4. Q V A R T V M quoque argumentum ex libro duodecimo Porphyrij ab Anabaptistis acceptum, Hieronymus tertio in Daniele capite his verbis refellit: *H V N c locum calum-*

Danielē cur
Nabuchodo-
nox or adora-
re voluerit.
Act. 14, 12.

niatur Porphyrius, quod nunquam superbissimus rex captiuum adorauerit, quasi non & Lycaones ob signorum magnitudinem Paulo, & Barnaba voluerint hostias immolare. Sed & hoc possumus dicere, quod causas adorandi, & immolandarum hostiarum, & incensi, atque sacrificij ipse rex exposuerit dicēs, V E R E

Dan. 2, 47.

Deus vester Deus Deorum est. Ergo non tam Danielem, quam in Daniele adorat Deum, qui mysteria re-

Ioseph. li. 11.
ant. cap. 8.

uelauit, quod & Alexandrum magnum regem Macedonum in pontifice Ioiada fecisse iegimus. Quod si displicet hoc, dicendum est, Nabuchodonosor signorum magnitudine, & stupore confusum, quid faceret ignorasse: vt qui dominum verū intelligebat, & dominum regum, & seruum eius adoraret, & illi adoleret incensum, sed in hoc calumniator Ecclesia prophetam reprehenderenitur: quia non recusauerit munera, &

Danielē cur ho-
mo rē & mu-
nera non re-
cusauerit.

honorem Babylonium libenter susceperit: non considerans regem ideo vidisse somnium, & interpretationis mysteria per puerum reuelata, vt Daniel cresceret, & in loco captiuitatis princeps omnium fieret

Gen. 41, 4.
Esth. 8, 2.

Chaldaeorum, & Dei potentia nosceretur, quod quidem Iosepho apud Pharaonem, & Aegyptum factum legimus, & in Mardocheo apud Assuerum, vt in utraque gente haberent captiui & peregrinantes Iudæi solatia, videntes hominem gentis suæ Aegyptiorum esse principem, vel Chaldaeorum. Hæc Hieronymus de honore à Daniele suscepto. cui cum Anabaptistæ opponunt, Paulum, & angelum talia

cur Paulus à
Lycaonibus a-
dorari renue-
rit.

recusasse, respondendum est, disparem vtriusque fuisse causam. Paulus enim ad oblatos diuinos honores, vestes idcirco discedit, quia vidit Lycaones illis honoribus non Deum in se, & Barnaba, quemadmodum Nabuchodonosor in Daniele colere voluisse, sed se, ac Barnabam tanquam impios gentium Deos Iouem, scilicet ac Mercurium stulta quadam opinione commotos, venerari voluisse. Qua etiam de

cur angelus à
Ioāne adorari
non sit passus.

causa angelus Ioannem ad genua procidentem prohibuit: quia senserat eum existimasse, præsentem se habere Deum, quod ne falso crederet, angelus, se non esse Deum cum increpatione indicauit. De hymno verò trium puerorum, sicut fatemur apud Hebræos non inueniri, ita credimus à pueris illis in camino ignis eum fuisse cantatum, nec mirum nobis videtur, quòd inter æstus flamarum potuerint metro ludere, ac per ordinem ad Dei benedictionem singulas creaturas prouocare, cum ex Dei benignitate multo maiora & mirabilia potuerint, deambulare scilicet per medios ignes intactis vestibibus, & capillorum summitatibus illæsis.

5. D E sententia Origenis, & Africani, nihil

A est cur moueamur, cum Africanus non decernendo, sed dubitando, an historia hæc videretur esse conficta, ab Origine qua fieri. Origenes verò tantum abest ab huiusmodi sententia, vt eam longa & erudita epistola fortissimè confutauerit, & in calce eiusdem epistolæ ita in laudem huius sacræ historiæ scripserit. *Hæc à me dicta sint pro defendenda Susannæ historia*, atque vtinam scripturæ Susannæ encomium celebrare possem, cum in singulis dictionibus immorando, tum sensa eximia ostendendo, id quod priuatim aliquis, qui studiosè & abundè meditatus fuerit in diuinis, componere poterit. Cæterum nec Eusebius refert hanc historiam ab Origene reiectam, sed hoc tantum affirmat, scilicet, eum monuisse, ne Iudæorum fabulæ reciperentur, sed ea duntaxat, quæ LXX. Interpretes veritiffent. Quæ sanè Origenica verba non ad Susannæ scripturam referenda sunt, sed ad alia quædam Apocrypha, quæ Origenes in ea epistola enumerat. De temporibus autem pueritiæ Danielis, & liberationis Susannæ, quæ inter se discrepare videntur, sciendum est, verba illa: *E t rex Astyages appositus est ad patres suos, & suscepit Cyrus regnum eius*: quæ in fine decimitertij capitis leguntur, non pertinere, ad commemoratam statim supra Susannæ historiam, sed ad historiam Belis, & draconis, & proximè in 14. capite sequentem, cuius tempus designatur cum dicitur: *E t rex Astyages appositus est ad patres suos, & c.*

6. D E D I V E R S O dierum numero, quibus legitur, Daniele fuisse in lacu leonum, quidam sequentes opinionem eorum, quos Hieronymus refert duos distinxisse Danieles, sic soluunt, dicentes. *Danielem hunc, qui in historia Susanna, ac Belis, & draconis ponitur, non esse eum, cuius gesta in libro Danielis narrantur, sed alium, qui non fuerit de tribu Iudæ, & Eunuchus regis Babylonis, sed de tribu Leui sacerdos, de quo scripsit Abacuch filius Iesv de tribu Leui. proinde nul-*

D lam intus esse contradictionem, cum historia Susannæ, Belis, & Abacuch ad librum Danielis non pertineat, sed pars sit prophetiæ Abacuch filij Iesu de tribu Leui, sicut iuxta septuaginta interpretes in titulo eiusdem Belis historia ponitur: *H o m o quidam erat sacerdos nomine Daniel, filius Abda, coniuua regis Babylonis: cum Danielem, & tres pueros de tribu Iudæ fuisse sancta scriptura testetur.* Hæc illi.

Sed nos ad historiæ continuationem propius accedentes, controuersiam tollimus in hunc modum. Daniel non semel, sed bis, & ob diuersas causas in Lacum missus est, primum sub Dario Histaspæ: quia contra eius edictum Deum suum intra triginta dies prohibitos adorauerit, & tunc, quemadmodum sexto hu-

ius lib, cap, legitur, vna tantum nocte in eo fuit, indeq; sequenti luce à rege extractus. Secundò verò iterum missus est in lacum ob destructum Belè, & interfectum draconem, sub Cyro rege, qui cum Dario Histaspæ duobus annis, & post eum annos viginti duos regnavit, fuitq; in eo sex continuis diebus, & septimo à Cyro rege liberatus est. vixisse autè Danielem post Darium regem sub regno Cyri, dubium non est: cum ipsemet cap. decimo huius libri testetur, se tertio anno regni

10. 11. 12.

Hier. 12. cap.
in Daniele.
Dan. 13, 65.

10. 11. 12.

Hier. in pref.
cō. Danielis.

Hier. in pref.
Daniel in la-
cum bis mis-
sus est.

Dan. b. 17,
19.

Dan. 14.

regni Cyri in Chaldæa iuxta flumen Tygrin
vilionem vidisse. Nec mirum est, Abacuch ad
Danielem ab angelo delatum. Si enim permit-
tente Deo potuit Diabolus saluatorē nostrum
cum tota corporis grauitate ex deserto in tem-
plum, & ex templo in montem, vt Lucas ait,
in momento temporis ferre, cur incredibile
videri debet, iubente Deo potuisse angelum
intra vnius horæ spacium Abacuch de Iudæa
in Chaldæam corporaliter asportare?

Gregorius.
Luc. 4, 5.

7. VLTIMUM quod de Iosephi, & Hiero-
nymi iudicio opponunt, ijdem ipsi autores re-
fellunt. Iosephus enim decimo antiquitatum
libro has, & multas alias sacras historias se
præterijisse fatetur, non quia eas narratione
sua indignas iudicaret, sed quia in antiquis
Hebræorum libris scriptæ non essent, quos il-
le solos sumperat transferendos. Hierony-
mus autem respondens Ruffino, qui eum de
resecto Danielis codice notauerat, hæc scri-
bit: *QVOD autem refero quid aduersum Susanna
historiam, & hymnum trium puerorum, & Belis, &
draconis fabulas, quæ in volumine Hebraico non ha-
bentur, Hebræi soleant dicere: qui me criminatur stul-
tum, se sycophantam probat. non enim quid ipse senti-
rem, sed quid illi contra nos dicere soleant explicauit.
quorum opinioni si non respondi in prologo, breuitati
studens, ne non præfationem, sed librum viderer scribe-
re, puto quod statim subiecerim, dixi enim: DE quo
non est huius temporis disserere. alioquin & ex eo quod
asserui Porphyrium contra hunc prophetam multa
dixisse, vocauique huius rei testes Methodium, Euse-
bium, Apollinarium, qui multis versuum millibus il-
lius vesania responderunt, me accusare poterit, quod
non in præfatiuncula, contra libros, Porphyrij scripse-
rim.* Hæc Hieronymus, quem si quis iterum car-
pere velit, quod has historias vbique fabulas
appellauerit, respondebimus, eum fabulæ no-
men non à fabulando, sed à fando deduxisse.
nam & qui vera narrant, communi gentium
locutione fabulari dicuntur. sicut de duobus
discipulis de morte Christi in itinere loquen-
tibus dixit Lucas. καὶ ἐγένετο ἐν τῷ ὁμιλεῖν αὐτοῦς.
quod vetus interpres traducit, *ET DV M fabu-
larentur adinuicem*, hoc est colloquerentur. Et
hæc de libris prophetis contra hæreticos di-
cta sint. Nunc ad libros, qui Parænetici, &
Morales dicuntur, accedamus.

Iosephus l. an.
30. cap. 12.

Hieronymus
de Susanna
historia quid
sentiat.

Luc. 24. 51.

DE LIBRO ECCLESIASTIS. Hæresis VII.

ECCLESIASTEN Salomonis repudiare.

ASSERTORES HVIVS HÆRESEOS.

Cap. 132. c

PHILASTRIUS in catalogo hæreseon po-
nit hunc errorem inter innominatas hæreses,
quarum auctor ignoratur. Hugo Carrensis in
præfatione huius libri innuere videtur, eum
de stultis quorundam Iudæorum opinionibus
deriuasse, qui quidem asseruerunt, Salomonem
hunc librum edidisse ad confutationem an-
tiquæ idololatriæ, cuius radix, & causa fuerat

mundi æternitas. qui cum eo tempore, quo
hec scribebat mulieres idololatrias adamaret,
quemadmodum in tertio Regum legitur, non
ausus fuit aperte de mundi vanitate, eiusque
ortu & interitu scribere, ne illarum errorem
ab ipsa radice conuellens, aut illas, aut illarum
gentes offenderet. vnde veluti eis placere
studens, affirmavit interdum omnia ab æterno
fuisse, cum diceret: *Nihil sub sole nouum.* ad-
dens & alia multa his similia, in gratiam mu-
lierum, quas amabat. Hieronymus quoque in
fine commentariorum huius libri refert, Iu-
dæos fuisse hunc librum de Canone sancta-
rum literam abiecturos: quia totum putet esse
pro nihilo, & cibum, & potum, & delicias tran-
seuntes omnibus præferre videatur, sed ab hæc
sententia destitisse propter pauca verba, quæ
in fine libri huius scripta inueniuntur.

3. Reg. 11, 1.

Eccle. 1. 10.

CONFUTATIO.

DAMNANT autem hæretici hunc librum
(vt Philastrius retulit) primum, quia statim
in ipso libri exordio dixerit, omnia, quæ sub
cælo sunt esse non solum vanitatem, sed etiam
vanitatem vanitatum: & se, quæcunque desi-
derauerunt oculi sui, non negasse eis: & quod
nihil esset bonum in vita hominis, nisi lætari
& bibere & comedere: & eundem esse homi-
num, & iumentorum interitum. Quibus de
caulis (vt Iacobus Chrystopolitanus episco-
pus in præfatione commentariorum in Can-
ticum Salomonis tradit) innominati quidam
hæretici dixerunt, Salomonem non solum in
compositione præsentis libri, sed omnium quo-
que librorum suorum caruisse Spiritus sancti
illustratione, quia cor eius in senectute à mu-
lieribus deprauatum fuerit, & ad artes magi-
cas, & idola conuersum, vt in tertio volumine
Regum scriptum est. quod profectò nunquam
permisisset Spiritus sanctus, si aliquando in
illo habitasset.

Eccle. 1, 2.

Eccle. 2, 10.

Eccle. 3, 19.

D

SE D absit, vt tale quippiam de Salomone
thesauro cælestis scientiæ, per cuius os di-
uina sapientia locuta est, cogitemus, existi-
mantes, eum ita impiè sensisse de Deo, qui to-
tus in hoc incubuit, vt more optimi concio-
natoris, populum ad contemptum huius mun-
di prouocaret, ostendens omnia, quæ sub so-
le sunt, esse caduca, & pro nihilo reputan-
da, mundum quotidie senescere: & mortales
omnes inter errores vitæ huius, ac fugaces
temporū lapsus euanescere, & nihil solidum,
nihil stabile in vniuerso reperiri: sed solum
Deum idem semper esse, quod fuerit, eosque
solos esse sapiētes, ac beatos, qui Deo iungun-
tur. Tale autem fuisse in hoc libro Salomonis
propositum, in peroratione voluminis mani-
festius demonstratur: vbi Salomon disputatio-
nem suam concludens, inquit: *FINE M loquen-
di pariter omnes audiamus, Deum time, & mandata
eius observa, hoc est, omnis homo. Cuncta quæ sunt ad-
duce, Deus in iudicium, pro omni errato, siue bonum,
siue malum sit.* Quibus verbis totam disputatio-
nis, & catalogi summam hæc quasi ἀνακεφαλα-
ίωση. coarctans, hoc vnum fuisse totius con-
futationis

3. Reg. 11, 4.

Sapientia
Salomonis
quanta.

Eccle. 12, 13.

4.

tionis suae argumentum ostendit, ut homines abiectis huius mundi illecebris creatorem timerent, & colerent. Quod autem haeretici calumniantur creaturas suapte natura bonas, in hoc volumine appellari vanissimam vanitatem, facile habet solutionem. creatura enim bifariam, vel in seipsis, vel in ratione ad Deum considerantur: cum enim in seipsis considerantur, utique terra, maria & omnia, quae in hoc circulo continentur, bona quidem per se sunt, sed ad Deum comparata, nihil sunt, nisi vanitas vanitatum, & omnia vanitas, & minus quam pro nihilo reputanda. & quemadmodum lucernae igniculum in tenebris gratissimum habeo, quem exorto solis splendore contemno, ita aspiciens elementa, & rerum multiplicem varietatem, admiror quidem operum magnitudinem: recogitans autem omnia pertransire, & mundum suo fine senescere, solumque Deum illud semper esse, quod fuerit, compellor dicere non semel, sed bis: VANITAS vanitatum, & omnia vanitas. CUM autem addunt Salomonem aequalem hominum, & pecudum posuisse interitum, & summum bonum in cibo ac voluptate collocasse: nouerint eum, non ex propria sententia talia protulisse, sed secundum stultam opinionem pecuinarum hominum, qui putantes hominem totum in morte, ut caetera animantia interire, pro summa beatitudine ducunt sese ingurgitare voluptatibus, atque omnibus huius mundi illecebris expleri. Illud item quod mendaciter aiunt, Salomonem spiritus afflatu caruisse, expresse reuincitur falsum ex tertio libro Regum, in quo de ipso scribitur: *ECCĒ feci tibi secundum sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens & intelligens, in tantum ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit.* Qui etsi postea cecidit, non ideo cecidit, quia prius habitantem Dei spiritum non habuerit, sed quia eum cadere diuina providentia permisit, ne (ut inquit Ambrosius,) propter admirandam eius sapientiam, & incomparabilem felicitatem à Iudeis, aut Deus, aut Messias in lege promissus crederetur. cuius quantumuis grauis fuerit lapsus, nihil auctoritati librorum suorum adimere, nec debuit, nec potuit. cum plerunque euenisse sciamus, ut Deus etiam per malos homines vera & sancta locutus sit, malitia etenim hominum nihil officere potest Dei donis, nec eo minus nobis commendata esse debent Dei dona, si mali sint per quos nobis ea ministrantur. dona enim Dei suscipienda sunt, non minister, & non quis, sed quid dicatur attendendum.

DE CANTICO CANTICORVM Hæresis VIII.

Canticum Canticorum esse obscenam impudici amatoris cantilenam, voluptatis gratia conditam.

ASSERTORES HVIVS HÆRESEOS.

HANC hæresim, quam nunc Anabaptistæ

renouarunt, Philastrius in suo catalogo, inter Anonymas, recensuit. Quam Lutherus aliquantulum moderari volens, in exordio suarum Annotationum in Cantica, secutus est errorem quorundam haeticorum, quos Theodoretus in praefatione Canticorum narrat asseruisse libellum nunc nihil aliud esse, quam familiare colloquium inter Salomonem, & Rempublicam Iudæorum inuitantem Salomonem, dilectum suum ad regnandum super eam. Castalionus verò in Annotationibus eiusdem libri cum Anabaptistis sentit. Canticum, istud esse colloquium Salomonis cum amica quadam sua Sulamitha, de qua dicitur: *REVERTERE, reuertere Sulamitha, reuertere, reuertere, ut intueamur te.* ad cuius aulicas feminas Salomon interdum sermonem dirigit, & ipsa quoque vicissim ad illum, & illam. HANC stolidam opinionem Philastrius, & Iacobus Chrystopolitanus episcopus in praefatione libri huius, latius explicantes scribunt, olim haeticos quosdam extitisse, qui crederent, Canticum istud à Salomone iam à suis concubinis deprauato compositum in laudem filiae Pharaonis, regis Aegypti, quam ipse omnium mulierum suarum formosissimam adamauit, existimantes de ea Salomonem dixisse: *Equitatus meo in curribus Pharaonis assimilauit te, amica mea. & Sexaginta sunt regine, & octoginta concubinae, & adolescentularum non est numerus. sed una est columba mea, & perfecta mea. viderunt eam filiae Syon, & beatissimam predicauerunt, & regine laudauerunt eam.* Quae verba ad spirituales, & diuinum intellectum non posse referri, hoc indicio confirmabant, quod nunquam in hoc cantico, Dei nomen positum fuerit. id autem esse constat contra diuinæ Scripturae consuetudinem, in qua nullus extat liber, in quo non sit scriptum nomen illud *יהוה*, seu quadriliterum *יהוה* Iehoua, aut saltem aliud quoddam Dei nomen, qualia sunt *אדנאי* Adonai, *אל* El, *סדדאי* Saddai, *זבואות* Zebaoth, & alia his similia quorum cum nullum inuenirent in hoc libro, pronunciarunt materiam eius esse prophanam, ac proinde Salomonem religione adductum, non fuisse ausum amatorijs carminibus sanctum Dei nomen immiscere. ne contra legis præceptum, nomen Dei in vanis sermonibus assumeret.

CONFUTATIO.

SED quantum istorum carnalis opinio à scopo huius diuini Cantici aberret, ipsa Cantici verba demonstrant, quae se iuxta literam non patiuntur exponi. tales enim sunt similitudines, per quas adamatam illam sponsam describunt, ut secundum exteriorem vocis sonum intellectæ, magis eam deformant, ac deturpent, quam illustrent, & exornent. Quid enim potest dici, aut fingi ineptius, quam quod hic de sponsa refertur? videlicet, quod habeat amplum caput instar montis Carmeli, oculos per similes piscinis magnis, quae sunt in Ezebon: nasum praeferentem magnitudine sua turrim, quae respicit contra Damascum; dentes sicut greges ouium, collum sicut arcem

Hier. in eccl.
cap. 1.

creatura dupliciter considerantur.

Salomon in aliena persona locutus est.

1. Reg. 3, 12.

Dona Dei suscipienda non minister.

Cap. 133 & 147.

Cant. 6, 11.

Cap. 147.

Can. 1, 9.

Can. 6, 7, 8.

Canticum non est cantilena amatoria.

Cant. 7, 4, 5.

arcem Sion, ex qua clypei mille dependent: manus tanquam sphaeras aureas, crura sicut columnas marmoreas supra bases aureas erectas: insuper, quod sit pulchra sicut locus Tirza, decora vt Hierusalem, terribilis vt castrorum acies ordinata. Quae omnia si vel de filia Pharaonis, vel Sulamitha intelligantur aded sunt rudia, incondita, & agrestia, vt longè politiora & elegantiora sint illa, quae rudis ille cyclops apud poetas in Galatheam suam ineptissime canere fingatur. Oportet igitur, si Salomonem omnium sapientissimum (vt par est) ineptiae nota liberare velimus, verba Cantici huius à carnali ad spiritualem, ac mysticam intelligentiam reuocare, & in eo castas mystici sponsi CHRISTI, ac sponsae eius Ecclesiae, vel animae nuptias intelligere. quarum Epithalamium praesenti volumine canitur: sicuti omnes Patres in praefatione eius testantur, ac praecipue Origenes, qui commentaria sua in hunc modum orditur: *EPITHALAMIUM libellus, id est, nuptiale carmen, in modum mihi dramaticis videtur à Salomone conscriptus, quem cecinit instar nubentis sponsae, & erga sponsum suum, qui est sermo Dei caelesti amore flagrantis, adamauit enim eum, siue anima, quae ad imaginem eius facta est, siue Ecclesia, sed & magnificus hic ipse, atque perfectus sponsus, quibus verbis usus sit ad coniunctam sibi animam, vel Ecclesiam, haec ipsa Scriptura nos docet. Sodales quoque sponsae adolescentulae cum ipsa sponsa posita, quae dixerint, quaeque etiam amici ac sodales sponsi ex eodem libro, qui Canticum canticorum adtitulatur cognoscimus.* Hæc Origenes. ex quibus euidentissimum est, per unicam Salomonis amicam, sponsam, & columbam, significari Ecclesiam Christi sponsam, & per reginas. & concubinas, sanctas animas Christo per caritatem coniunctas, sicut per Salomonem, hoc est pacificum, Christus verè pacificus designatur.

Quod non agnoscentes carnales huius Cantici lectores, nullum in eo diuinum nomen inuenire possunt, cum tamen singula eius carmina, plena sint diuinis nominibus, quibus sese Deus, nunc pastorem, nunc fratrem, & amicum, nunc sponsum, nunc dilectum, ad desiderabilem de industria nominat, praeteritis non absque maximo mysterio priscis illis nominibus, quibus incomprehensibilis illa maiestas non sine metu ab hominibus circumscribi consueuerat, veluti *אֱלֹהִים* El, hoc est fortis vel *אֲדֹנָי* Adonai, id est, dominus: vel *אֲדָמַי* Saddai, hoc est robustus: vel *צְבָאוֹת* Zebaoth, hoc est armipotens: vel *יְהוָה* Iehoua, quod Hebraeis *ἀνεκφώνητος*, id est, ineffabile reputatur. Cum enim caelestis ille sponsus in praesenti Cantico consolari vellet mysticam sponsam suam tanto iam tempore dilecti sponsi oscula expectantem, ac dilatione desiderij tabescentem, omisit vetustissimam illam diuinorum nominum appellationem ipso penè sono formidabilem, sumptis eorum loco nouis & gratioribus nominibus, quorum soni dulcedine æstantem sponsae animum demulceret: vocans seipsum pro domino, fratrem, amicum, dilectum, & sponsum: pro armipotente, pacificum ac pastorem, pro forti, ac robulto vulneratum, ac laetium: pro ineffabili, vnguentum effusum, fa-

sciculum Myrrhae, botrum Cyprium, hynulum ceruinum, electum ex millibus, omnium pulcherrimum, totum desiderabilem, & amabilem: ita vicissim vocans sponsam suam, non sicut olim appellare consueuerat, terram Israël, filiam Sion, terram Iuda, ancillam, ac seruam sed sororem, sponsam, amicam, columbam, dilectam, unicam mulierum pulcherrimam, ac multis alijs huiusmodi nouis blandisque appellationibus, quibus dilectam sibi sponsam diuturno sponsi desiderio confectam, dulciter recrearet.

DE LIBRIS SAPIENTIAE
ET ECCLESIASTICI.
hæresis IX.

Librum Sapiaentia falsò nomine Salomonis inscriptum esse: atque unà cum libro Ecclesiastici proinde à sanctorum voluminum canone exclusum.

ASSERTORES HVIVS
HÆRESEOS.

PROPOSITVS error olim à quibusdam reliquijs Pelagianorum (vt Hilarius ad Augustinum scribit) defensus, & nuper ab Anabaptistis, & Lutheranis restitutus. duo asserit, primum est, auctorem libri Sapiaentiae non esse Salomonem, sed Philonem, Iudæum patria Alexandrinum Græcè linguæ peritissimum, de quo propter Platonicae dictionis similitudinem quam habuit, dictum est, *ἢ πλάτων φιλοσοφία, ἢ φίλων πλατωνίης*. id est, aut Plato Philonem, aut Philo Platonem sequitur. Alterum est: neutrum horum voluminum esse canonicum. Quarum assertionum sicut primam incertam esse ac temere assertam, ita secundam apertè hæreticam non esse monstrabimus.

IMPVGNATIO.

Et quidem si liber Sapiaentiae à Philone Iudæo sit editus inter libros veteris instrumenti numerari non debet, sed inter noui testamenti volumina recenseri: quippe cuius autor Philo post Christi tempora floruit, sub Caio Cæsare, ad quem (vt ipsemet in libro de legatione sua scripsit) admodum adolescens missus est Iudæorum legatus. Quare cum Ecclesia reponat hunc librum inter alios veteris testamenti, qui ex vulgata Ecclesiae consuetudine ideo veteri testamenti libri sunt appellati, quia ante datum nouum testamentum sunt conditi, manifestum est illum non esse Iudæi Philonis, qui sub nouo testamento claruit.

DE INDE secundo capite huius libri, autor prophético spiritu describit futuros Iudæorum conatus aduersus Christum, dicens: *VENITE circūueniamus iustum quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & impropertat nobis precepta legis, & diffamat in nos peccata discipline nostrae, promittit se scientiam Dei habere, & filium Dei se nominat. videamus ergo si sermones illius veri sunt, & tentemus, quae uetura sunt illi, & sciemus, quae erunt nouissima illius. Si enim est verus filius Dei suscipiet eum.*

Philonem non esse auctorem libri Sapiaentiae.

Eus. lib. 2. his. eccles. cap. 5. Hier. in lib. de uiris illustr.

Sap. 2, 12, 13.

Canticum Epithalamium est Christi & Ecclesiae.

Christus quibus diuinis nominibus in canticis dicuntur.

Cur Dei nominibus consuetis non dicuntur.

eum, & liberabit eum de manibus contrariorum. Contumelia, & tormento interrogemus eum, ut sciamus reuerentiam eius, & probemus patientiam eius, morte turpissima condemnemus eum. Quae verba, ut Catholica Ecclesia credit, & praedicat, apertum de futura passione & morte Christi continent vaticinium, quod cum tempore Philonis iam esset impletum, sequitur eum vaticinij huius non fuisse scriptorem.

Ad hoc etiam accedit, quod auctor libri huius eodem secundo capite detestatur impiorum Iudaeorum inuidiam, aemulationem, & zelum in ipsum iustum Christum, execraturque, grauem illorum malitiam & impietatem. quod non est verisimile fecisse Philonem, virum maxime inter suos celebrem, & summo semper in honore habitum, & praeter haec semper in lege Iudaeorum versatum, & a Christi cultu alienum, ne tam recens patrum suorum scelus tam liberè, & aperte accusans, suorum in se odium concitaret.

PRÆTEREA D. Dionysius Areopagita ex hoc libro testimonium profert in prima parte quarti capitis libri de diuinis nominibus, dicens in primis scripturarum institutionibus, quendam de diuina Sapientia dixisse copiosius: AMATOR factus sum formae illius: quod ex octauo capite huius libri sumptum est. neque credendum est B. Dionysium id ex libro Philonis iam recen- ter edito citasse, quia vocat librum illum pri- mas Scripturarum institutiones: quod indicat librum non tum primum in lucem emissum, sed multis antea saeculis in prima illa diuina- rum scripturarum institutione conditum, quem librum etiam si possibile sit B. Dionysium vi- disse nuper editum, adhuc verisimile non est, vt talis, ac tantus pater dignatus fuerit in re grauiissima auctoritati Philonis inniti.

EXTA ETIAM catalogus omnium operum Philonis apud Euseb. li. 2. hist. eccles. cap. 18. & apud Hieronymum in libro de viris illustribus, in quo liber Sapientiae nusquam nominatur.

VERVM quia nonnulli ex Lutheranis pre- dicta haec sententiae suae obstare viderunt, ideo vt se ab illis explicarent, dixerunt, duos fuisse Philones, vnum post Christi tempora sub im- peratoribus Caio, & Claudio, & Nerone, de quo Eusebius, & Hieronymus meminere: al- terum vero vetustiore, Graeca facundia di- fertissimum, supra centum, & sexaginta annos ante Christi ortum, temporibus Oniae pontifi- cis Iudaeorum, & hunc fuisse libri Sapientiae auctorem.

CVI Sententiae omnino repugnant, quae auctor capite nono huius libri de se ipso scri- bit, asserens se fuisse regem Israel, & in vrbe Hierusalem aedificasse Deo templum, his ver- bis: TY autem domine elegisti me regem populo tuo, & iudicem filiorum & filiarum tuarum, & dixisti me aedificare templum in monte sancto tuo, & in ci- uitate habitationis tuae, altare, similitudinem taber- naculi tui, quod preparasti ab initio. Quae sane ver- ba neutri ex his, Philonibus accommodari possunt, qui neque reges fuerunt in Ierusa- lem, neque templum in ea construxerunt, sed vni tantum Salomoni conueniunt qui Hiero- solymis regnavit, & primus Deo templum po-

A fuit, & veluti regum omnium sapientissimus, hunc nobilem Sapientiae librum condidit, in cuius capite octauo scripsit, se orasse Deum pro impetranda sapientia ad recte gubernan- dum populum, sicut scriptum est in tertio li- bro Regum.

SED super omnia Ecclesiae Catholicae au- ctoritas, & communis patrum consensus de- clarant Salomonem huius libri auctorem. Ec- clesia enim quotannis feria quarta Penteco- stes in sacrosanctis misterijs, primam huius li- bri sententiam decantat, dicens: DIXIT Sa- lomon filiis suis: Diligite iustitiam qui iudicatis ter- ram. cui omnes Patres tam Graeci, quam Latini consentiunt, & primum de Graecis, Euse- bius lib. 4. hist. eccles. cap. 22. sic ait: VERVM & hic Egesippus, & Irenaeus, & omnis antiquorum chorus librum, qui ad titulatur Sapientia Salomonis, sicut & Proverbia esse dixerunt. & Epiphanius in libro de ponderibus & mensuris, librum Sa- pientiae παραγέρου ab omni virtute, quae in eo continetur, appellatum Salomonis esse credi- dit. & Ioannes Damascenus lib. 4. cap. 18. li- brum Sapientiae omnium virtutum doctrina refertum, Salomonis auctori attribuit. Inter Latinos vero D. Ambrosius in lib. de quatuor difficilibus quaestionibus auctorem facit hu- ius libri Salomonem sic inquit, In libro Sa- pientiae Salomon se dominum deprecatum fuisse com- memorat: adij, inquit, Dominum, & deprecatum sum illum: Da mihi domine sedium tuarum assistricem sa- pientiam. Augustinus item cum aliquando as- seruisset librum huc non esse Salomonis, tan- dem sententiam suam parum probabilem agno- scens, retractauit in 2. lib. retractationum cap. 4. Ex his igitur probatum relinquitur, librum Sapientiae a Salomone fuisse conditum,

QVOD autem Sapientia Salomonis, & Sa- pientia Iesu filij Sirach, quae Ecclesiasticus di- citur, sint in canone sanctarum scripturarum receptae, demonstratur noui testamenti atte- statione, Ecclesiae auctoritate, conciliorum determinatione, & vetustissimorum Patrum testimonio. Paulus enim ad a Romanos vnde- cimo, & ad b Heb. vndecimo. ex 9. & 6. & 4. c. Sapientiae sententias allegat, & c Petrus, & d Iacobus vterque primo capite suarum episto- larum, ex 14. capite Ecclesiastici testimonia proferunt, idem faciunt de libro Sapientiae Clemens Romanus Pontifex in prima episto- la, Anacletus in secunda, Euaristus in prima ad Africanos epistola. Similiter de libro Ecce- llaistici idem faciunt Fabianus Papa primus, qui in epistola secunda ad omnes Orientales epi- scopos ex 10. & 11. eius capite verba sumit. & Sixtus Papa primus ex 24. capite eiusdem vo- luminis illud accepit: EGO ex ore altissimi pro- diui, & gyrum caeli circuiui sola. Ioannes Dama- scenus vtriusque voluminis mentionem fa- ciens, libro 4. De fide sic scribit: ΠΑΝΑΡΕ- ΤΟΣ hoc est liber Sapientiae Salomonis, & Sapien- tia Iesu, id est Ecclesiasticus, virtuosi quidem, & bo- ni sunt, sed non numerantur, neque in arca iacebant, & ideo licet apud Iudaeos non numerentur, inter fide- les tamen maxime auctoritatis habentur. Augustinus libro 2. De doctrina Christiana inquit, Illi duo Cap. 8. libri, vnus, qui Sapientia, & alius, qui Ecclesiasticus inscribi

Sap. 2, 21:

Dionysius A- reopagita li- brum Sapien- tiae citauit.

Sap. 8, 2.

Philones ne duo fuerunt

Libri Sapien- tiae auctor est Salomon. Sap. 9, 7, 8.

3. Reg. 3, 9.

Liber Sapien- tiae & Canoni- cus & Salomo- nis est. Sap. 1, 1.

Sap. 9, 4.

Sapientiae & Ecclesiastici libri quomodo sint Canonici.

a Rom. 11, 34. b Heb. 11, 5. c Iac. 1, 11. d 1. Pet. 1, 14.

Eccl. 24, 5.

Cap. 8.

Sap. 4, 11.

inscribitur, quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter propheticos numerandi sunt. & libro primo De prædestinatione sanctorum cap. 14. de libro Sapientia sic ait: **S E D**, qui sententijs tractatorum instrui volunt, oportet ut his tum librum Sapientia ubi legitur: **R A P T V S** est, ne malitia immutaret cor eius, omnibus tractationibus anteponant, quem sibi anteposuerunt, etiam temporibus proximi Apostolorum egregij tractatores, qui eum testem adhibentes, nihil se adhibere nisi diuinum testimonium crediderunt, non ergo liber Sapientia qui tanta numerositate annorum legitur in Ecclesia Christi, in quo & hoc legitur, pati debet iniuriam, aut eius debet repudiari sententia, qui meruit in Ecclesia Christi tam longa annositate recitari, & ab omnibus Christianis ab episcopis usque ad extremos laicos cum veneratione diuina auctoritatis audiri. Quibus Patrum testimonijs demum accedit auctoritas Concilij tertij Carthaginensis, & Concilij magni Lateranensis, & epistola Innocentij Papæ ad Exuperium, & Gelasij catalogus, in quibus vterque Sapientia liber annumeratur.

O B I E C T I O N E S H Æ R E T I C O R V M.

Cap. 8.

Li. 17. de ci. cap. 20.

1. **L I B R V M** Sapientia non esse Salomonis, testatur Hieronymus in prologo librorum Salomonis, appellans eum librum *Ἰουδαϊκῶν*, hoc est falsò inscriptum Salomoni, cum sit Philonis Iudæi, & apud Hebræos nusquam extet, & ipse stylus Græcam redoleat eloquentiam. cui subscribens Augustinus lib. 2. De doctrina Christiana sic loquitur: **N A M** duo libri, primus, qui Sapientia, & alius, qui Ecclesiasticus inscribitur, de quadam similitudine Salomonis esse dicuntur. nam Iesus filius Syrach eos scripsisse constâtissime perhibetur, & decimo septimo libro de ciuit. Dei in eandem sententiam ait: **A L I I** duo libri, quorum vnus Sapientia, alter verò Ecclesiasticus propter eloquij nonnullam similitudinem, ut Salomonis dicantur obtinuit consuetudo. non autem esse ipsius, non dubitant doctiores.

2. **Q V O D** autem neuter horum voluminum canonicam habeat auctoritatem, Hieronymus in prædicto prologo testis est, inquires: **F E R T V R** & Panaretos Iesu filij Syrach, & alius pseudopigraphus qui Sapientia Salomonis inscribitur, & paulò post: Sicut ergo Iudith, & Tobia, & Machabæorum libros legit quidem Ecclesia, sed inter canonicas Scripturas non recipit. sic & hæc duo volumina ad edificationem plebis, non ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam. & rursum in Prologo galeato sic loquitur: **I G I T V R** Sapientia que vulgo Salomonis inscribitur, & Iesu filij Syrach liber in canone non sunt. quod etiam in explanatione octauj, & vndecimi capituli Zachariæ confirmat. Epiphanius verò de vtroque libro in libello De ponderibus & mensuris hæc scribit: **N A M** duo libri versu scripti, Salomonis Sapientia Pana retos ab omni Sapientia appellata, & Sapientia Iesu filij Syrach, & nepotis eius Iesu, qui Sapientiam illam Hebraicè scripsit, ita ut nepos eius eam interpretatus sit, id est Græcè scripsit, utiles quidem sunt, & commodi, sed in numerum receptorum non referuntur. Isidorus quoque libro sexto etymologiarum cap. 2. librum Ecclesiastici inter

A apocryphos reijcit. sed neq; Gregorius Theologus, neque Eusebius, nec Origenes, nec vllus veterum, hos libros in catalogo diuinorum voluminum recenset.

S O L V T I O.

1. **I N I Q V E** imponunt heretici Hieronymo, quod ipse nõ asserit, sed referendo scribit, nõ ipse id credens, sed nonnullos veteres scriptores hoc est Iudæos, id credidisse narrans. ait enim: **I V D Æ I**, Philonis esse affirmarunt vel putauerunt Philonem sententias huius libri à Salomone primum editas, ac dispersas simul collegisse, & in vnum coarctasse volumen, quod de nomine collectoris Sapientia Philonis à nonnullis postea vocaretur. Augustinus verò inductas sententias in secundo lib. retractationum c. 8. retractauit his verbis: **Q V O D** dixi de auctore libri, quem plures vocant Sapientiam Salomonis. quòd ipsum etiam sicut Ecclesiasticum scripserit Iesus filius Syrach, postea didici non ita constare sicut à me dictum est, & omnino probabilius comperi non esse hunc libri illius auctorem.

2. **D E** verbis autem Hieronymi asserentis librum Sapientia in canone ab Ecclesia non recipi, respondemus, vt alibi quoq; diximus, eum de Ecclesia suorum temporum id intellexisse: cui cum nondum satis apertè cõstaret de auctoritate horum voluminum, non ausa est ea in canonem recipere ad dogmatum probationem: sed paulò post plenius à Spiritu sancto edocta, in concilio tertio Cathaginensi, volumen vtrunque recepit, ac deinceps sequentia Concilia in sacris catalogis vtrunque numerarunt. Cæterum si Origenes, atque alij quidam Patres hos libros à Canone reiecerunt, non ob id consequitur eos nullo modo esse canonicos, sed hoc tantum ex illorum Patrum auctoritate colligitur, nempe, libros huiusmodi non esse de numero Scripturarum, quæ ad primum Canonis ordinem pertinent, & de quibus nõquam fuerit dubitatum. quod nec nos inficiamur. vtrunque enim in secundo canonicorum voluminum ordine collocauimus. Patet ergo inter sancta scripta iure optimo annumerari Paræneticos Sapientia & Ecclesiastici libros, de quibus cum satis dictum sit, ad postremum Historicorum voluminum ordinem transeamus.

D E L I B R O I O B.

Hæresis X.

Historiam libri Iob esse confictam: ipsumque Iob nunquam in humanis fuisse.

A S S E R T O R E S H V I V S

H Æ R E S E O S.

Hæc quoque hæresis est Anabaptistarum ætatis nostræ, qui librum hunc irridentes, appellant eum Tragicomædiam Hebræorū, hoc est, fabulam, partim secundum comædiæ, partim secundum tragædiæ leges editam: quia principio ipsius historiae cades filiorum ac filiarum Iob, quod in tragædijs vsu venit, referantur, in fine verò, quod comædiæ proprium est, falices Iobi euentus ponantur.

Hieronymus non censet libri Sapientia Philonem esse auctore.

Origeni & alijs qui negant hos libros esse canonicos qd respondendum.

IMPUGNATIO.

*Judei non pu-
runt librum
Iob esse cano-
nicum.*

*Iob vere fuit
in humanis.
Ezech. 14.*

Iac. 5, 11.

*a Iob 1. d. 11.
1. Tim. 6. 7.
Iob. 5. 14. 13.
1. Cor. 3. 19.
Iob 34. 19.
Act. 10. 34.
Iob 4. c. 18.
2. Pet. 1. 14.*

*Iob historia
perfecta viri
religiosi for-
ma.*

*Orig. in pref.
cōm. in Iob. 1.
Moses Iob li-
brum transtu-
lit.*

ATQUE hunc impium errorem retincti Anabaptistæ acceperunt à recutitis Iudæis ex כבא בתרא *Baba Batra*, hoc est, ex parte tertia quarti ordinis librorum Thalmudicorum. Cui diuinæ Scripturæ omnino contradicunt, quæ non solum Iob in humanis fuisse testantur, sed eum inter viros sanctitate præcipuos enume- rant. nam in Ezechiele inquit Deus: *Sisterint in medio Nohe, Daniel, & Iob, ipsi in iustitia sua liberabunt animas suas.* & Iacobus in sua catholica admirabilem Iob patientiam in aduersis imi- tandam proponens: *SUFFERENTIAM*, in- quit, *Iob audistis, & finem Domini vidistis*, qui si nusquam in rerum vniuersitate fuisset, Scri- ptura certè non tam diligenter annotasset no- men eius, ac ciuitatis eius, filiorum numerum ac filiarum eius, uxorem quoque & numerum singulariter omnium facultatum, à bobus vs- que ad asinos, dies itidem vitæ eius, & nomina amicorum eius, & ipsorum genus, familiam ac patriam. Huc accedit, quòd Paulus, cæteri- que Apostoli ex hac sancta historia non tan- quam de conficta fabula, sed veluti de verissi- ma scriptura multas illustres sententias mu- tuarunt, quales illæ sunt; *NIHIL intulimus in hunc mundum, & c.* & *COMPREHENDAM sa- pientes in astutia eorum.* & *NON est personarum ac- ceptor Deus.* & *DEVS angelis peccantibus non pe- percit*, atque aliæ nonnullæ eiusmodi similes. Verissima igitur, ac sanctissima est hæc histo- ria, & digna, quæ per omnem vitam ab omni- bus pijs ante oculos habeatur, vtpotè, in qua nobis proponitur perfecta forma religiosi vi- ri, ac verè sapientis, qui nec secundis rebus in- flatur, nec aduersis frangitur, nec in vtrisque deserit Deum suum, sed in fide immobilis, & in spe constans per cuncta tentationum ge- nera perseuerat. Quamobrem recte Moses hæc sanctam historiam Syriacè prius, vel à Iob, vel ab amicis eius conscriptam, in Hebraicum sermonem transtulit ad consolationem He- bræorum suorum, cum in Ægypto à Pharaone opprimerentur: vt dum legerent vehementes illos beati viri dolores, inuicem se consola- rentur, & cum patientia, & gratiarum actio- ne, mala, quæ eos circumdederant, sufferrent: & vt remunerationem, quam Deus B. Iob post tolerantiam largitus est, audientes, etiam ipsi liberationem sperarent, & mercedem labo- rum suorum expectarent. Sanctus itaque hic liber, quem iam toties memorata Concilia in Canone receperunt, & perpetuus Ecclesiæ consensus comprobauit, omni, cum venera- tione à fidelibus omnibus accipiendus est.

OBJECTIONES HÆRE-
TICORVM.

1. QVOD argumentum libri Iob comicum sit, & iuxta scænæ leges confictum, ex his ap- paret, quòd nec de personis, nec de loco, nec de tēpore, nec de auctore huius historiæ quic- quam certi haberi potest, dissidentibus inter se non minus Hebræis, quàm Græcis, ac Lati- nis scriptoribus. Ac primum de ipso Iob, qui

A primas in hac historia partes obtinet, & cui totius narrationis argumentum innititur, non parua controuersia est. Origenes primo capi- te commentariorum in Iob scribit hunc Iob Arabem fuisse, ex genere Esau, natum in terra Vssitide, motus ex verbis quibusdam, quæ in communi Græca editione sub finem eius libri leguntur, vbi dicitur Iob habitasse in ter- ra Vssitide, in finibus Arabia, cui ante fuerat nomen Iobab, fuisseque filium Zareth, de fi- lijs Esau, de matre Bozra quintum ab Abra- ham, quartum ab Esau. Cui Augustinus libro decimo octauo De ciuitate Dei consentit. Am- brosius autem in commentar. epistolæ ad Ro- manos putat eum fuisse regem in Edom, ex eo quòd in Genesi legitur, reges olim regnasse in Edom, quorum primus fuit Balach filius Beor, post quem Iobab regnauit, quem Am- brosius Iob esse credidit, deceptus vocum af- finitate, quæ tamen apud Hebræos non in principio solum, sed & in fine dictionis plu- rimum distant. Iob enim à litera א. hirich pun- cto subscripto, sic scribitur אובב; Iobab verò à litera Iod incipiens, sic scribitur יובב; Hieronymus verò in quæstionibus Hebraicis, fal- sum eos arbitrari existimat, qui credunt Iob de semine Esau fuisse, asserens eum de stir- pe Nachor fratris Abraham descendisse. Alij autem, quos eodem in libro Hieronymus ci- tat, dixerunt, Iob esse Iasub illum, qui in prin- cipio Paralipomenon, post Thola, & Suha, in catalogo filiorum Israël numeratur. At ve- tustissimi quique Hebræorum, quibus tan- quam de proprijs genealogijs peritioribus, magis credendum est, Iob nunquam inter ho- mines fuisse tradunt, sed librum hunc ab in- certo auctore confictum sub persona Iob, in e- xemplum scilicet patientiæ, ad institutio- nem tolerantia in aduersis, & ad solatium in- gruentium calamitatum. cui etiam argumen- to omnes præsentis libri personas satis apte respondere volunt: ponitur enim in primis vir per omnia malorum genera iactatus, & in- tolerandis humana patiētia doloribus oppres- sus, cui ex propria miseriæ euentu nomen im- ponitur I O B, hoc est, dolens, gemens, & vlu- lans, ac seipsum afflicans. Fingitur quoque non ineptè de terra Hus, quæ consilium inter- pretatur, vt discamus consilio, & prudentia omne infortunij, & ærumnæ genus facile su- perari. Immittuntur autem aduersus tantum virum veluti in palestra certaturi, non quales- cunque de infima plebe homunculi, sed Eli- phaz, Baldad, Sophar, & Heliu splendidis no- minibus insignes, Baldad, enim vetusta secre- ta: Sophar, speculator, vel buccina; Eliphaz, aurum Dei; Heliu verò, Deus ipse interpretantur: vt in his ostendatur, aduersus virum Vssitidem, hoc est consilio, & prudentia arma- tum, nullas quantumuis magnas hominum di- uitias, aut potentiam, aut sapientiam præuale- re. Vnde & in postremo huius fabulæ actu, quo- res feliciorum exitum sortiatur, sicut in co- mædijs fieri solet, inducitur Deus ipse, qui vt optimus iudex fortissimo viro restituit dupli- cia pro omnibus, quæ amiserat. Et vt varietate sermonis iucundior fabula sit, singulæ eius partes

*De Iob pa-
trum senten-
tia.*

*Iob historia
vt in drama
recutitis à
transferatur.*

partes comica quadã ratione sic dispositę sunt, vt exordium eius soluta oratione incipiat, deinde sequantur actus, dramatis in morem hexametris, ac pętametris carminibus, interdum quoque tinnulis quibusdam rythmis interpositis, descripti, & quemadmodum in comędijs tam Gręcorum quàm Latinorum diuersa nonnunquam linguarum genera ad maiorem audientium oblectationem misceri solent, sicut apud Aristophanem in comędia, quę inscribitur Acharnes introducitur barbarus quidam Persica lingua loquens, & apud Plautũ in Pænulo Afer quidam Hanno punicę loquitur, ita in hac fabula varia linguarũ genera inducuntur: estq; altera narrationis pars ipso Hieronymo teste, Arabico sermone digesta altera Syro, altera verò Hebraico eloquio scripta. Atq; hæc est antiquorum Iudeorum sententia de libri huius argumento. ad cuius cõfirmationem facit incertitudo loci, ac temporis, in quibus Iob vixisse fertur, alijs cum Origene affirmantibus eum fuisse Mosi, contemporaneum, alijs, in quibus Augustinus, eum longè ante conditam legem vixisse credentibus. De loco item varia opinio est. Auctor libri huius tradit eum in terra Vssitide natũ, Augustinus in Idumęa natum, ibique educatum ac mortuum, Ambrosius regnasse in Edom, Origenes vixisse in Arabia, & Arabem fuisse scribit. De auctore similiter præsentis libri, nullus scriptorũ cum altero consentit. nam vt Gregorius in præfatione Iob, & Isidorus libro sexto etymologiarum referunt, alij Mosem eius autorem arbitrantur, alij Iob ipsum post plagam suę passionis illum scripsisse putant, alij socios Iob, alij vnum ex prophetis. Quare cum de libri argumento, personis, loco, auctore, ac tempore nihil constet, existimandum videtur, præsentem historiam non iuxta facti veritatem, sed exempli, & imitationis gratia, ad commendationem patientiæ conscriptam.

2. SED vt cunque res ipsa se habeat, non potuit narrationis huius auctor esse tã Lynceus, quin multũ à propositi argumenti scopo aberrauerit. is enim cum instituisset effingere personam perfecti hominis, ac in primis tolerantissimi, quem nec secundæ res in superbiam eleuarent, nec in desperationem aduersæ deprimerent, tamen in ipso narrationis cursu contra instituti sui ordinem, & contra omnes patientiæ leges, patientissimum illum virum in crimen impatiētiae, & blasphemiae sæpius trahit, impingens illi quòd maledixerit diei natiuitatis suę, inquit: **M A L E D I X I T** diei suę, & ait: *Pereat dies in qua natus sum, & nox, in qua dictũ est: conceptus est homo.* Et quasi hoc leue crimen esset, describit eius aduersus Deum indignationem, quòd de vulua eduxerit eum, & quòd egressum de vtero non statim peremerit, subinde fingens eum desperatione adductum, præmissis etiam indignabundis verbis ad laqueum accurrere dicentem: **S Y S P E N D I V M** elegit sibi anima mea, & mortem ossa mea, desperavi, neque ultra iam viuam. Facit quoque illum propriæ iustitiæ iactatorem, & iustitiæ Dei accusatorem, dum ait: **V T I N A M** appenderentur peccata mea in statera: quasi arena maris grauior inue-

A niretur pœna, quã patior, quàm iniquitas mea. quo, quid excogitari potest contra Dei iustitiã iniquius? aut, quid arrogantius pronunciaripotuit, quàm quod autor hic ex ore Iob protulit? **N O N** reprehendit me cor meum in omni vita mea? **N O N** est sanctus in terra, qui nõ peccet. & alio in loco prouidentiam Dei per os beati illius hominis incusans, quòd ei curæ non sit patientia eius: **V B I** nunc est inquit, *præstolatio mea, & patientiam meam quis considerat?* neque hoc solo contentus, præcipiat illum in eam desperationẽ, vt Deo non aliter quàm crudelissimo cuidã tortori sequitiam cum exprobratione obijciat, dicens: **V E R S V S** es mihi in crudelẽ: & alio in loco, *Si flagellat, occidat semel, aut saltem de pœnis innocentũ nõ rideat.* Quæ quidem atq; alia huiusmodi verba, quæ passim in libro Iob indignationis, impatiētiae, & desperationis plena leguntur, manifestè conuincunt, historiæ huius auctorem in tãtum à scopo suo digressũ, vt nobis pro pijsimo, ac fortissimo viro impatiētissimum hominem proposuerit.

DILVTIO OBIECTORVM.

1. SI tam leuibus coniecturis liceat nobis de sanctis literis pronunciare, vt historiæ illæ in sacris voluminibus falsæ iudicentur, quæ linguarum, carminum, nominum, ac personarum varietate constant, nulla scripturę diuinę pars in qua hæc, atque his similia inueniantur, vera erit. Hac enim de causa liber Psalmorum, lamentationes Ieremiæ, finis libri verborum, Canticum Canticorum Salomonis, & Canticum Mosi, magnum inter fabulas deputanda erunt. & omnia tam veteris quàm noui testamenti volumina credentur esse conficta. quòd tam multa in ipsis nomina iuxta personarum proprietates indita legantur. reuoluant insani Rebaptizantes librum Geneseos, & inuenient quemadmodum omnia penè humana nomina sunt mystica, & quomodo prophético quodam spiritu, & occulta quadam Dei dispositione, à veteribus patribus ab ipsa statim natiuitate, filijs eorum imposita sunt, vt ex nominum appellatione futuros filiorum euētus, antequam euenirent quoquo modo prænotarentur. sic prima omnium fœminarũ Eua, hoc est, viuentium omniũ mater, eo quòd talis futura esset, vocata est. sic Abrahã, quòd futurus erat autor tam numerosi seminis, Abraham, hoc est, pater multarum gentium, appellatus est. sic minor Rebeckæ filius, occulto quodam mysterio, Iacob, hoc est supplantator dictus est, vt in nomine, decepti ab eo fratris supplantatio notaretur, & vere de illo frater eius Esau aliquando diceret: **R E C T E** vocatum est nomẽ eius Iacob: *supplantauit enim me & altera vice.* sic duo filij Davidis à futuris vitę successibus ita inspirate Deo diuersi ominis nomina sortiti sunt: hic Scelomo, id est pacificus, propter futuram sub eius regno pacem vocatus est; hic verò Absalõ, patris scilicet amaritudo, infælici augurio nuncupatus est, vt nomen doloris amaritudinem portenderet, quam rebellis patri filius fuerat illatus. Et ne longius vager, sic in nouo testamento Simon fælicissimo omine Petri nomen & filij Zebedæi Boanergis cognomẽ à Christo

Iob. 17. 6.

Eccl. 7. 21.

Iob. 17. 15.

Iob. 30. 21.

Iob. 9. 23.

Libri sacri-
metro conditi
qui & quot,Nomina vete-
ribus imposi-
ta futuros eo-
rum euētus
denotauerūt.

Gen. 27. 36.

Davidis filij
duo cur sic vo-
cati.

Iob. 3. 1, 2.

Iob. 7. 15,
16.

Iob. 6. 2, 3.

acceperunt? ut in illo prima ædificandæ ecclesiæ petra, in istis futuræ prædicationis eminentia monstraretur. Ad horum igitur similitudinem, Iob secreto quodam calamitatum, ac dolorum suorum prælagio, antequam eos pateretur, dolentis, & ululantis nomen sortitur: sicut & socij eius, vel quia similè nominibus vitam fuerant habituri, ita volente Deo vocati sunt: vel ut progenitorum suorum memoriã ad posteros commendarent, ita forte Eliphas, Baldal, & Sophar, sunt appellati. nam & ipsis nominibus nuncupatos fuisse legimus aliquos ex ijs, qui in genealogia Esau, vnde isti traxerunt originem, computantur. tollitur itaque ex his omnis conficti nominis suspicio.

De varietate verò linguarum, quibus diuersas libri partes imperitissimi Anabaptistæ scriptas existimant, scire oportet, auctorem præsentis historiæ quisquis ille fuerit, siue Iob, siue quispiã de amicis eius, Idumæum fuisse genere, ut historia ipsa testatur, & hunc librum Idumæa lingua, ut potè sibi naturali scripsisse. Sed quemadmodum Idumæa regio, Plinio teste, partim Syriæ miscetur, cuius vltima ad occidentem Solem pars est, partim verò Arabiæ Petrææ, cui contigua est, & in eam excurrit, ita existimandum est, Idumæam linguam partim ex Syriaca, partim ex Arabica lingua fuisse commistã, & hac usum fuisse huius libri scriptorem, quem cum postea Moses, ut Origeni placet, in Hebraicum sermonem vertisset, & verbum ex verbo magis quam sensum de sensu reddidisset, factum est ut liber Hebraicè versus, Syriacis, & Arabicis idiotismis in tantum abundauerit, ut triplici lingua videatur esse conscriptus. Cum itaque Hieronymus in præfatione Iob scribit, translationem suam ex Hebraico, Arabico, & Syro sermone nunc verba, nunc sensus, nunc simul vtrunque sonare, non sunt verba eius ita ad trium linguarum diuersitatem referenda, ut credamus eum editionem suam ex tribus diuersarum linguarum fontibus deduxisse, sed ad multiplicem Hebraicæ dictionis varietatem Syriacis, & Arabicis innumeris refertã dirigenda. Quod & ipse Hieronymus in præfatione Danielis indicauit, cum diceret, librum Iob cum Arabica lingua plurimam habere societatem: magis hoc dicto exprimens, librum Iob cum Arabico habere similitudinem, quam aliquam de partibus suis Arabicè scriptam.

Iam verò quod aiunt, inter se dissentire scriptores de auctore huius historiæ, atque eius patria, tam paruum habet momentum ad veritatem historiæ, labefactandam, ut consideratione prorsus indignum sit. Nam, ut Beatus Gregorius in præfatione Iob ait: *Quis hæc scripserit valde superflue queritur, cum auctor libri Spiritus sanctus fideliter credatur: Ipse hæc scripsit, qui hæc scribenda dictauit: ipse scripsit, qui & illius operis inspirator extitit, & per scribentis vocem imitanda ad nos eius verba transmisit.* Præter hoc etiam, nec ipsi patres diligenter considerati, inter se de auctore libri, & patria eius dissentiant. idem enim de his Auctor libri Iob, & Origenes, & Ambrosius, & Augustinus affirmant, tametsi alter eum in terra Vs, alter in Arabia, alter in Edom,

alter in Idumæa vixisse dicat: eadem enim est terra Vs, & Edom, dicente Ieremia in Threnis: *GAUDE, & latere filia Edom, que habitas in terra. Vs, & vtraque in Idumæa est, quæ partim, ut diximus, Syriæ, partim Arabiæ iungitur.* Vnde & Origenes primo in Iob capite inquit, *VSSITIDAE sunt genus Esau, posteritas, atque tribus Edom, nam Ussuida, & Minei & Eubei, & Temmanita, & ceteræ omnes tribus erant ex cognatione, & prosapia Esau, qui & Edom cognominatus est: & vniuersa illæ tribus, Idumæi vocitate sunt, nunc verò omnes vno nomine Arabes appellantur, De stirpe quoque Iob, quæ Hieronymus ex Abraham per Nachor, Origenes verò, & Ambrosius, & Augustinus, & Gregorius ab eodem Abraham deducunt per Esau, si attente vtrorumque mens attenditur, aut nihil discrepant, aut parum: siquidem omnes hi iuxta sententiam veteris, ac vulgatæ Græcæ, & Latinæ editionis locuti sunt, in cuius calce verba hæc olim legebatur: ERAT autem Iob filius Zareth, de Esau filius, de matre verò Bozra.* Hieronymus autem, ut ipsemet fatetur, iuxta Hebræorum sententiã locutus est, apud quos verba ista nusquam in Iob volumine leguntur, neque tamen eos errasse voluit Hieron. qui Iob de Esau descendisse crediderunt, sed eos falli credidit, qui ad id asserendum, nulla alia de causa mouerentur, quam ex prædictis verbis, quæ Hebraica veritas ignorabat.

2. TRANSEO nunc ad execrabiles blasphemias, quibus improbi sanctissimum virum impetunt volentes iuxta mortuam literam memoratas ab eo sententias intelligi, quas absque vllò dubio iuxta mysticam viuificantis spiritus intelligentiam exponendas fore, ipse verborum contextus aperte conuincit, cogentibus ad hoc præcedentibus ac subsequentibus sermonibus, qui prædictas sententias nequaquam secundum literam intelligi permittunt. Nam qui fieri potest ut Iob ex ira, & indignatione maledixerit diem natiuitatis suæ (quemadmodum eius verba extrinsecus indicare videtur) qui post filiorum, filiarum atque omnium facultatum interitum, post insanabilis plagæ percussione, malè cõsulenti vxori responderit: *SIBONA suscepimus de manu domini, mala cur non sustineamus?* aut quomodo verisimile fuerit, ut ex animi desperatione vitam suspendio finire decreuerit, qui tanta fiducia exclamat: *ET si me occiderit, sperabo in eum?* & quomodo credibile est, voluisse vitam suam ab omni labe immunam prædicare, cum diceret: *NON reprehendit me cor meum in vita mea:* qui se peccasse publica voce fatetur, inquiens: *PECCAUI, quid faciam tibi o custos hominum? cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam?* & quo pacto affirmare audebimus Iob de iniustitia, & seueritate Dei conquestum, qui iustitiam Dei prædicans dicit: *SI equitas iudicij eius queritur, nemo pro me potest testimonium dicere: quia si iustificare me voluero, os meum condemnabit me.* Cum ergo verba hæc secundum literam collata, sibi conuenire nequeant, aliud in se occultum, quod queratur ostendunt. Igitur si primum beati Iob verba quibus diem maledicit iuxta extrinsecum vocis sonum, quemadmodum exponit Origenes

Iob cur ita vocatur.

Cur diuersa lingua libri Iob conscriptus esse videatur.

Iob. 5. 13.

Moses librum Iob traslulit.

Iob auctor est spiritus sanctus Greg. & in hac scribenda dictauit: ipse scripsit, qui & illius operis inspirator extitit, & per scribentis vocem imitanda ad nos eius verba transmisit.

Iob vnde oriundus.

Thren. 4. 2.

Iob vir probatur sanctissimus, & dicta ipsius explicantur. Greg. in præf. Iob. 3. & 4.

Iob. 2. 10.

Iob. 13. 15.

Iob 27. 6.

Iob. 7. 20. 21

Iob 9. 19. 20

nes intelligamus, nihil absurditatis patiuntur. non enim tanti est maledictio illa, ut eius gratia sanctus ille vir accusandus sit. Siquidem cum diem natalem malediceret, qui iam exoleuerat, nec iam amplius erat nihil sancte maledixit: dies enim præteritus neque est in natura, neque in actu, neque in propria potestate, sed solum inane nomen, & profus nihil, qui ergo nihil maledixit, nihil peccauit. At si

mysticam sectemur Gregorij expositionem, agnoscemus maledictione huiusmodi sanctam esse, non prauam: quippe quæ non ex voto vltionis, sed ex rectitudine iudicij, & ex animi tranquillitate oritur. ut inde discamus duplicem esse diem vite nostre, alterum primæ conditionis, & creationis humanæ, in quo creatus est homo in iudicia, & sanctitate, hoc est, diem iustitiæ innocentia, sanctitatis, & gratiæ. alterum verò diem execrabilem, & maledictioni obnoxium, diem scilicet posterioris natiuitatis, in qua natus est homo in peccato, & iniquitate, diem peccati, & corruptionis humanæ. Cum ergo Iob diem malediceret suum, non dixit: *P E R E A T dies in qua conditus sum, sed dies in qua natus sum.* ac si aperte diceret, dies peccati, & culpæ, dies nostræ mortalitatis pereat, & dies innocentia sanctitatis, & gratiæ, dies gloriæ, & immortalitatis erumpat. Atque iuxta hunc sensum intelligendum est optasse Iob

abortiuum se interiisse, & in hanc vitam non venisse, videlicet in vita peccati, iniquitatis, & culpæ. Similiter quod ait: *S V S P E N D I V M elegit anima mea, & mortem ossa mea.* de spiritali suspendij, ac mortis genere exponitur: ut per animæ suspendium, eleuationem eius à terrenis ad cælestia, à carnalibus ad spiritalia intelligamus. sic enim Paulus suspendium elegit, cum dicit: *C H R I S T O confixus sum cruce.* per desperationem verò, terrenarum voluptatum abdicatio, & mundanæ spei abiectio intelligendæ sunt. illud quoque, quod addit: *V T I N A M appenderentur peccata mea in statera, &c.* mysticè de Christo in cruce pendente pro peccatis nostris dictum est, volens enim Iob dominicæ passionis grauitatem ostendere: *V T I N A M,* inquit, *appenderentur in lance diuina iustitia peccata mea:* mea quidem, non per culpam, sed per pœnæ assumptionem: quibus iram patris merui, profectò multo grauior inueniretur, pœna, quàm patior, quàm sit hominis culpa, pro qua patior: quia ille, qui patitur infinitus est, is verò pro quo patitur finitus. Cum autem dixit Iob: *N O N reprehendit me cor meum:* considerare debemus, quòd duo sunt peccatorum genera, quædam, quæ à iustis vitari possunt: quædam verò, quæ etiam à iustis vitari non possunt. & hæc quid est, peruersæ cogitationes peccatorum, illa verò peruersarum cogitationum consensus, & executiones. Qui ergo in peccatorum cogitationibus labitur, si eis resistat, & ante se reprehédât, quam per consensum in prauas operationes labatur, non habet unde postmodum flédo à corde suo reprehendatur. Sic itaque Iob, qui peccatorem se iuxta Salamonis sententiam confessus erat, tunc se à suo corde non reprehendi cõfitetur: quia, & si qua in licita fortè cogitando, defecit, tamen

cogitationi resistens: nihil vel consentiendo, vel operando defecit.

Denique cum audimus verba, quibus Deo crudelitatem exprobrare videtur, credere nos oportet, ea non per iram, & indignationem à beato Iob prolata. Sicut enim vocant Scripturæ sanctæ humano more Deum sine zelo zelantem, sine ira irascentem, ita à sancto viro Iob humano more Deus dictus est sine crudelitate crudelis. crudelis quippe dicitur, qui districte feriendo non parcat: ut videlicet hoc loco crudelis, districte feriens intelligatur. Sicut & Esaias volens ostendere vltimum iudicij diem, non iam cum venia, sed cum districcione esse venturum, dixit: *E C C E dies domini veniet crudelis, & indignationis plenus.* Ea verò, quæ subdidit, inquit: *S I flagellat, occidat semel, &c.* similiter non per odium & exprobrationem, sed ex ardenti desiderio humanæ redemptionis ad Deum Patrè, prophetico quodam spiritu emissa sunt: quorum ut sensus lucidior fiat, notandum est prius, quid per pœnam innocentium, & per Dei risum significetur: Itaque Dei risus, vel ridere Dei est, humanæ nolle afflictionis misereri: pœna verò est, desiderij dilatio, dicente Salomone: *S P E S quæ differtur, affligit animam.* pœnæ ergo innocentium sunt, ardentissima illa veterum patrum desideria, quibus estuante animo mysteria incarnationis videre cupierunt. Riderè verò Dei fuit, non implere eorum desideria. Quousque enim electorum suorum vota non compatiens distulit, quid aliud quàm innocentium pœnas risit? Itaque vir sanctus venturi redemptoris dona considerans, & votorum suorum dilationem patienter tolerans, dicit: *S I flagellat, occidat semel, & non de pœnis innocentium rideat:* ac si aperte exoret, dicens: Quia vita nostra quotidie flagello vindictæ pro culpa atteritur, ille iam veniat, qui pro nobis semel sine culpa moriatur, ut de innocentium pœnis Deus ultra non rideat, si ipse carne passibilis appareat, in cuius se desiderijs mens nostra castigat. Satis igitur ex his Anabaptistarum blasphemiam confutata sint.

DE LIBRIS ESDRÆ TOBIÆ, IVDITH, ET ESTHER Hæresis XI.

LIBROS Esdræ, Tobia, Iudith, & Esther, tanquam incertæ fidei, & auctoritatis historias abijcere.

ASSERTORES HVIVS HÆRESEOS.

ANABAPTISTÆ libros istos in vniuersum reiiciunt. Lutherus verò addubitare se dicit, utrum liber Tobia, ac Iudith in ordine sacrorum voluminum recipiendi sint.

IMPVGNATIO.

DAMNANT hanc hæresim totius Ecclesiæ auctoritas, Conciliorum decreta, & Patrum testimonia. Primus enim & secundus Esdræ, qui Nehemias dicitur non solum in omnibus catalogis vetustissimorum Ecclesiæ patrū inueniuntur, & in decretis Pontificum, eorum

Quomodo maledixerit diei ortus sui.

Greg. libr. 4. moral. cap. 6.

Dies vite nostra duplex.

Dies duplex, naturalis & instituta.

Suspendium quid denotet.

Iob. 7. 15.

Gal. 2.

Esa. 53.

Greg. libr. 18. cap. 85.

Duo peccatorum genera.

Greg. libr. 18. cap. 85.

Deus quare tione crudelis dicatur.

Isa. 13. 9. Iob. 9. 23.

Greg. libr. 9. moral. ca. 20.

Dei risus quid.

Prou. 13. 12.

Libri duo Esdræ & Tobia sunt canonici.

testimonia citantur, sed etiam apud Hebræos inter *כתובים* Chetubim hoc est, Agiographa. vel sancta scripta, quæ locabatur in arca, computantur. Tobias verò, et si apud ipsos in Canone non sit, Ecclesia tamen Christianorum à Concilio Carthaginensi tertio vsque ad hæc nostra tempora semper eum in Canone habuit, & antiquissimi quique Ecclesiæ Patres de ipso, seu de canonica scriptura varia testimonia protulerunt. inter alios verò Clemens primus eius nominis pontifex, epistola 1. & secunda, & Anacletus in suo primo decreto, Alexander verò Papa primus in epistola prima ad confirmationem sanctissimæ Trinitatis, vtitur testimonio benedictionis Tobia, inquit: **S** *Trinitas non est, cur Tobias cum filium suum mitteret in Reges ciuitatem cum Raphaële Archangelo, benedicens eos ita dixisse docetur? Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, ipse impleat benedictionem suam in vobis.* Similiter & Innocentius primus in sua decretali epistola ad Exuperium, Callistus Papa primus in secundo decreto, & Marcellus Papa primus in secunda epistola, huius historiæ testimonijs vsi sunt.

Tob. 7. 15.

Liber Iudith est canonicus. Hier. in præf. libri Iudith.

Iudith quoque librum non solum sancta Nicæna Synodus (ipso Hieronymo teste) in numero sanctarum Scripturarum suscepit, sed ipsi pariter Hebræi inter fide dignas historias tenent, collocantes eum vna cum libro Tobia inter sancta scripta, quæ apud eos extra arcam seruabantur, nec intra arcam cum cæteris canonicis libris custodiebantur. Tradunt etiam auctorem libri huius fuisse Ioachim sacerdotem, Iesu sacerdotis magni filium, cuius Philo Iudæus secundo Chronographiæ libello meminit his verbis: **G** *ESSIT ergo Iesus pontificatum primum vsque ad duodecimum annum Assueri Prisci annis sex & triginta: Ioachim vero filius eius in absentia, annis octo. Is & Iudith gesta conscripsit & anniuersariam liberationis memoriam quotannis agendam instituit.*

Liber Esther est canonicus.

De libro autem Esther quamuis olim apud quosdam Græcos patres dubitatum fuerit, an canonicus esset, omnia tamen Concilia eum in sacrorum voluminum catalogis annumerarunt, & Hebræi inter sanctos Cherubim libros recensuerunt. Hunc putant plerique Latinorum à Mardocheo editum, sed Philo Iudæus loco superius memorato, asserit ab eodem Ioachim pontifice scriptum, qui cum iam secundo esset pontifex, adhortante eum per literas Mardocheo Hebræo patre adoptiuo ipsius Esther, historiæ hanc literis mandauit, instituitque annuam solemnitatem *פורים* P H V R I M, hoc est sortium, quæ in volumine Esther annotatur, & à Iudæis vsque ad hoc tempus singulis annis in memoriam Iudaicæ liberationis colitur.

Cap. 9. 28.

OBIECTA HÆRETI-CORVM.

1. **D** *E* libris Esdræ quid sentiendum sit, Hieronym. in præfatione Esdræ indicat his verbis: **N** *E* *c* *quemquam moueat, quod vnus à nobis liber editus est, nec apocryphorum tertij, & quarti libri somnijs delectetur: quia & apud Hebræos Esdræ, Nehemiaque sermones in vnum volumen coarctantur, &*

qua non habentur apud illos, nec de viginti quatuor senioribus sunt, proculdubio reijcienda sunt. Ex quibus verbis manifestum est, tertium, & quartum Esdræ nihil nisi mera vanaque somnia continere, duosque tantum libros ex quatuor in canone remanere: quorum alterum, nempe secundum, qui Nehemia dicitur, Isidorus libro sexto etymologiarum cap. secundo de Canone abijcit, affirmans secundum, & tertium Esdræ libros non haberi apud Hebræos, sed ab eis inter apocrypha deputari.

2. **D** *E* Tobia verò, & Iudith libris, quòd in Canone non sint, palam testatur Hieronymus in prologo Tobia, inquit: **L** *B* *R* *V* *M* *vtique Tobia, quem Hebræi de catalogo diuinarum scripturarum secantes, his quæ agiographa memorant mancipatum, & in prologo galeato: IVDITH, & Tobias, inquit, & Pastor, in canone non sunt. & ne quis eum de solo Iudæorum canone locutum putaret, in præfatione Prouerbiorum addidit: IVDITH, & Tobia, & Maccabæorum libros, legit quidem Ecclesia Dei ad edificationem plebis, sed eos inter canonicas scripturas non recipit.*

3. **E** *T* meritò quidem Ecclesia Dei librū Iudith in canone non recipit, propter historiæ incertitudinem: cuius nec gesta, nec tempora, cum probatis gentium historijs conueniunt. Siquidem duo illi Medorū reges, qui in principio libri Iudith nominantur, Arphaxat, videlicet, & Nabuchodonosor, quorum temporibus gesta præsentis historiæ contigisse narrantur, nusquam in gentium historijs commemorantur. Neque illud quicquam facit ad rem, quod Lyranus, & Glossæ auctor, & Euseb. in Chronicis afferunt, duos istos reges diuersis apud Hebræos, & prophanos historicos nominibus nuncupatos, ita vt, quem Græci Cambysen secundum regem Persarum vocant, Iudæi Nabuchodonosor nominent: & quem Græci Dioclen quintum Medorum regem, Ecbatanæ vrbis conditorem faciunt, Hebræi id ipsum Arphaxatem Ecbatanæ fundatorē appellent. Nam si ita sit, quomodo Nabuchodonosor, à Græcis Cambyfes dictus, cuius tempore hanc historiæ accidisse Eusebius in Chronicis scribit, aduersus Arphaxat, quem Glossæ auctor asserit Dioclem esse Ecbatanæ aedificatorem, pugnare potuit in campo magno Ragau, & regnum eius obtinere, sicut in exordio præsentis historiæ scribitur, cum inter Cambyfen, & Dioclen plusquam centum ac viginti anni intercesserint: in quibus (vt ex Chronicis Eusebij colligitur) quatuor intermedij reges vnus post alterum regnauerunt, videlicet: Phaartes, annis viginti quatuor: Cyaxares, annis triginta duobus: Astyages, annis triginta octo: Cyrus, annis triginta: qui simul iuncti, comprehendunt annos centum viginti quatuor. Redditur etiā incerta libri huius historia ex multis alijs, quæ in ipsa continentur. veluti de Arphaxat, seu Diocle, quem Eusebius, atque omnes posteriores Chronographi, quinquaginta quatuor annos regnum Medorum obtinuisse scribunt, initium vero libri Iudith duodecim tantū annos regnasse narrat, & anno duodecimo regni fuit debellatum, ac de imperio deiectum à Nabuchodonosor, siue Cambyse Rege

De tempore historie Iudith varia opiniones.

Iudith. 1.

Rege Assyriorum, De vrbe vero Ecbatana, quam author libri Iudith Arphaxatem, aliàs Dioclem, lapide quadrato potentissimam edificasse memorat, Plinius eam lib. 6. cap. 14. tradit à Seleuco Rege lógo post tempore conditam. Quibus tam apertis contradictionibus Iosephi quoque autoritas accedit, qui cū omnes Iudaicas Antiquitates, quasunque veras credidit, literis mandare professus sit, nec vllam historiae huius mentionem fecerit, eam incertam, ac falsitatis suspectam reddidit, cum nulla eum causa retinere debuisset, quin tam magnificam gentis suæ victoriam memoriae ad posterum transmisisset, si eam fide, & historia dignam existimasset.

4. DE libro item Esther, non minor quàm de libro Iudith suspicio est: quia (vt Hieronymus in præfatione Esther affirmat) sumpto historiæ themate, historico, artificio scriptus sit, additis ad scriptoris arbitrium his, quæ pro tempore dici, & audiri poterant, sicut solitum est scholaribus disciplinis sumpto themate excogitare, quibus verbis vti potuit, qui iniuriam passus est, vel qui iniuriam fecit. Quam Hieronymi sententiam esse veram, sex vltima huius libri capita ostendunt, à decimo videlicet, ad sextum decimum, quæ in Hebræo volumine non habentur, sed, vel à Iosepho, vel ab alio quopiam scriptore conficta sunt. Nam & exemplum literarum Aman, quæ decimo tertio capite recitantur, & exemplum epistolæ regis Artaxerxis, quod capite sexto decimo recensetur, ex capite sexto libri vndecimi Antiquitatum Iosephi, nullo penè immutato verbo in hunc librum excerpta sunt. Iosephus enim, vt erat historicæ legis peritus, cum animaduertisset, vel historiam hanc reddi suspectam, vel regem, inconstantiam, ac leuitatis facilè notari posse, quòd post literas, in quibus omne Iudæorum genus aboleri iusserat, repente mutatus, sententiam suam nouis emissis literis reuocasset, inseruit capiti tertio, & octauo, ac plerisque alijs huius historiæ locis, multa, quibus hanc animi in rege mutationem, vna cum historiæ narratione ab omni calumniæ, vel figmenti suspitione vindicaret. quod autem in hisce capitulis ab eo factum est, idem in cæteris, vel ab eo, vel ab alijs corruptoribus factum credibile est.

5. PRÆTER hæc autè, historiæ partes adè inter se dissonant, vt quod antea in ea sub vno rege, ac tempore gestum refertur, idem postea sub alio rege, ac tempore accidisse legatur. Cùm enim secundo eius capite scriptum sit, Bagatan, ac Tharem regios eunuchos, ac regij palatij ianitores, qui in regis Assueri necem coniurauerant, fuisse detectos, & ambos in patibulo suspensos, idque post annum septimum Assueri regis, infra in capite vndecimo, & duodecimo idem refertur ab iisdem eunuchis, & Mardocheo factū sub diuerso rege, ac tempore, nempe sub Artaxerxe rege, in quem eunuchi illi conspirasse scribuntur anno secundo regni eius. Quod si quis dixerit: eundè hunc esse Artaxerxem, cum eo, qui supra dictus est Assuerus, vt Eusebius in Chronicis annotat: putans hunc fuisse Artaxerxem Memnonem,

A Darij Nothi ac Patifatidis filium, tunc alia maior insurgit controuersia, quæ omnem historiæ autoritatem euertit. Si enim tempore Artaxerxis præfens historia contigit, consequens est, tunc Mardocheum Iudæum, ducentos vitæ suæ annos habuisse, quod omnem veritatis fidem excedit: præsertim verò cum historia describat eum regia seruitia in palatio regis, integris adhuc viribus exercuisse, ac per urbem validè obequitasse, multa que alia eiusmodi non segniter peregrisse: quæ quidem illum in tam decrepita ætate præstare potuisse, verisimile nõ est, annum ætatis ducentesimum agentem: tot enim annos eum vixisse inuenimus: si tempus ab eius captiuitate vsque ad regem Artaxerxem supputemus, fuit enim Mardocheus de filijs captiuitatis, quos Nabuchodonosor rex Assyriorum cum Ioachim cognomento Ieconia rege Iudæorū transtulit in Babylonem. idque vt Eusebius in Chronicis scribit, anno octauo Astyagis octauis, & vltimi regis Medorum. verisimile autem est Mardocheum tum puerum, ad minus decem annorum fuisse, quibus si addantur triginta anni Astyagis, qui triginta & octo annis regnavit, erunt quadraginta, quibus si addatur numerus annorum, quibus vnus post alium regnauerunt vndecim reges Persarum, à Cyro qui primus regnum Medorum, deuicto eorum rege Astyage, ad Persas transtulit, vsque ad Artaxersem Mnemonem Darij Nothi filium, & erunt anni centum nonaginta nouem: quam quidem annorum summam necesse est Mardocheum non solum expleuisse, sed multis etiam annis post eam superuixisse. scribitur enim Iudith capite decimo regem Assuerum post huius historiæ euentum multa bella gessisse, & omnem terram ac insulas maris suæ ditioni subegisse, deindeque Mardocheum cæteris prælatum, vniuerso imperio suo præfecisse. Quæ cum nullam veritatis similitudinem præferant, liquet, historiam Iudith sumpto themate ab incerto auctore ad styli exercitationem (sicut Hieronymus innuit) fuisse confictam.

B

D

DILVTIO OBIECTORVM.

1. DE libris Esdræ tertio & quarto, quos Hieronymus somnia vocat, & in Canonem non assumit, quanquam hereticis nihil respondendum esse existimemus, non tamen illos damnare, ac prorsus reijcere audemus, præsertim cum B. Ambrosius, vt iam in primo libro ostendimus, quartum Esdræ volumen recipiat, & Augustinus indicet nonnulla, quæ in tertio libro sunt, mysticè tanquam de Christo esse intelligenda: quale illud est, cum inter iuvenes quosdam orta quæstione, quidnam plus valeret in rebus, vnus reges dixit, alter vnum, tertius mulieres, quæ plerunque regibus imperant, idem tamen tertius veritatem super omnia demonstrauit esse victricem. quod certè ad Christum, qui summa est veritas conuenientissimè aptari potest. De secundo vero libro, quem Isidorus de Canone excludere videtur, dicimus, alium esse librum Esdræ, quem ipse secundum vocat, & de Canone reijcit,

Li. 18. de ciu. cap. 36.

3. Esd. 3. 10. 11. 12.

Tertius & quartus libr. Esdræ probatur sed nõ tanquam canonicus vide Bellarmin. de verbo Dei lib. 1. cap. 20.

Aug. lib. 20. de ciu. dei ca. 25.

alium vero esse secundum librum Esdræ, quem nos in canone recipimus, noster incipit: **VERBA NEHEMIÆ, FILII HELCHIAE**, qui apud Hebræos cum primo Esdræ idem est, atque unicum cum eo efficit librum. Secundus autem apud Isidorum inde incipit unde apud nos tertius Esdræ initium sumit. nempe ab his verbis: **ET FECIT IOSIAS**, qui unà cum sequenti libro apud Hebræos non extat. Quod autem Isidorus librum, quem nos de nomine Nehemiæ inscriptum secundum fecimus, ceu canonicum recipiat, patet ex ipsis Isidori verbis, quæ paulo ante præmisit dicens, *ESDRÆ liber auctoris sui titulo prænotatur, in cuius textu Esdræ, Nehemiæque sermones pariter continentur.*

2. **DE** libris quoque Tobia, & Iudith breuiter respondemus, nihil ipsis auctoritatis adimi, quia eos Iudæi inter apocrypha computent, licet enim eos Iudæorum Synagoga non recipiat, sancta tamen Christi Ecclesia in Canone recipit: illosque pari veneratione cum alijs sanctis libris legit atque colit. Ad eam verò Hieronymi sententiam, quæ libros istos asserit ab Ecclesia Dei inter canonicas scripturas minime recipi, dicimus, verba eius sic sine vlla discretione considerata, non esse prorsus vera: quoniam Augustinus Hieronymo synchronos in secundo lib. de doctrina Christiana cap. 8. vtrunque in ordine canonicorum librorum enumerat, & Concilium Cathaginen- se tertium, cui Augustinus interfuit, in catalogo sacrarum Scripturarum enumerat. Ex quibus euidentissimè constat: hos libros etiam tempore Hieronymi fuisse ab Ecclesia Catholica in Canone susceptos. Proinde Ambrosius Compfæ episcopus huic argumento occurrens, ait, *Ecclesiam duobus modis apud veteres scriptores interdum accipi, aliquando pro his, qui in Ecclesia Dei ceteris præsent, uti sunt doctores, pastores, & rectores Ecclesie, de qua Ecclesia Christus se ipsum intelligi volebat, cum diceret: VADE, & dic Ecclesie, nonnunquam verò accipitur Ecclesia pro uniuerso fidelium cœtu, præcipuè verò pro his, qui inferiores sunt, ac de grege ouium, quæ pastoribus subiunguntur: de qua Ecclesia Paulus pastores admonens, dicit: ATTENDITE vobis, & uniuerso gregi, in quo vos posuit Deus regere Ecclesiam Dei, & de hac Ecclesia Hieronymus locutus est, cum dixit, Ecclesiam Dei suo tempore libros istos nondum inter canonicas scripturas accepisse, tumultuantibus scilicet adhuc seditiosis quibusdam, atque unà cum eis vniuersa quadam multitudinis consuetudine resistente, ne ab omni generaliter congregatione fidelium reciperentur apud Ecclesiam verò prima significatione sumptam libri isti semper tanquam canonici habiti sunt.* Hæc Ambrosius. At cum in principio huius operis ostensum sit plerosque magni nominis Patres & Ecclesie proceres Tobia, ac Iudith volumina inter apocrypha deputasse, sciendum est, ut iam primo libro monuimus, duos esse Canonicorum voluminum ordines, quorum prior continet libros, de quorum fide & auctoritate nulla unquam inter præfules ac pastores Ecclesie fuit controuersia: posterior vero cõplectitur Scripturas nõ statim in exordio nascentis Ecclesie à Patribus ac pastoribus agnitas & receptas, sed multò post, cum prius de his dubitatio-

Ecclesia duobus modis accipitur.

Matt. 18. 17.

Act. 20. 28.

Librorum sacrarum duo ordines.

nes, & diuersa inter illos iudicia fuissent. Hieronymus igitur unà cum aliquot Patribus ad primum ordinem respiciens, pronunciauit libros Tobia, ac Iudith, non esse Canonicos, hoc est, de numero canonicorum primi ordinis: Augustinus vero cum alijs patribus, habita ad secundum ordinem ratione, eosdem libros inter Canonicos refert, neque id Hieronymus improbat.

3. **QVOD** autem de historiae incertitudine proferunt, facile diluitur, si consideremus omnem allatæ difficultatis ambiguitatem in varia temporum, ac regum, qui per ea tempora fuerunt supputatione consistere: in qua Græcorum historici, quorum princeps Herodotus, quem noster Eusebius secutus est, plurimum distant ab historicis, & chronographis Iudæorum, atque Persarum, quales sunt Methastenes Persa, Cthesias Gnidius, & Philo Iudæus: atque ob hanc diuersitatem, aliquos ipsorum reijcere necesse est. Reijcitur ergo Eusebius, ac ceteri, qui in supputandis regibus Persarum, & Medorum, eorumque nominibus, ac temporibus recensendis fabulatorem Herodotum secuti sunt: recipiuntur verò iustissima de causa Cthesias Gnidius, Methastenes, & Philo: qui Cthesias (ut refert Diodorus Siculus libro suæ historiae) ex publica fide, atque Bibliotheca Persarum annales in Græciam retulit, qua de causa Diodorus ipse magis sententiæ eius, quàm Herodoti standum censet. Methastenes verò eadem de causa Herodoto præfertur: quia ut ipsemet refert, nullo alio auctore in numerada serie, ac tempore regum Persarum, ac Medorum usus est, quàm publica Susiana Persarum bibliotheca, in qua annales regum Persarum ætate sua, hoc est, tempore Alexandri Magni adhuc integri, & incorrupti seruabantur. Philo autem Iudæus ideo solus ex Hebræis scriptoribus recipitur: quia diligentissime quatuor Monarchiarum tempora, ac præcipue annos, ac nomina eorum, qui regnauerunt in Israel à Moysè vsque ad Herodem collegit, non incertas opiniones secutus, ut fecit Iosephus, sed ex libris septuaginta Seniorum, quos Zanadrin Hebræi vocant, certissima testimonia desumpsit.

NEC me mouet quòd Anabaptistæ veritatis hostes obiiciunt: Chronographiam, quæ sub nomine Philonis fertur, eius non esse: quia nec Eusebius lib. 2. hist. eccle. cap. 18. nec Hieronymus in libro de viris illustribus, huius voluminis meminere, cum vterque eorum de singulis operibus Philonis satis longum catalogum texuisset. Siquidem ambo fatentur, Philonem libros plures, præter illos ab eis in catalogo numeratos scripsisse, qui ad manus eorum non peruenerunt. Huc & illud accedit, quod maximè librum Philonis esse declarat, videlicet ipsummet auctoris huius Chronographiæ testimonium: scribit enim auctor in calce tertij libelli, se admodum adolescentem à Iudæis suis ex Alexandria missum legatum Romam anno vigesimo primo Herodis tetrarchæ: quæ verba nulli conuenire possunt, nisi Philoni Iudæo Alexandrino, quem Iosephus decimo octauo libro antiquitatum, & Eusebius li

Historici quibus recipiendis in Persarum regibus recensendis.

Philonis chronologia illius esse probantur.

bis libro 2. hist. eccl. cap. 5. tradunt adhuc A
adolefcentem missum esse Romam ad Caium
Cæsarem, contra Arrionem Iudæorum accu-
satores, scripsisseque de ea legatione librum,
in quo singula ab eo gesta continerentur.

Hæc idcirco dicta sunt à nobis, vt ex hac
Philonis Chronographia, latissimam aperia-
mus viam ad dissolutionem nõ solum præsen-
tis difficultatis, sed & omnium aliarum huius
generis ambiguitatum, quæ in apparentibus
contradictionibus sacrarum historiarum emer-
gere possunt. Nunc igitur ad propositam Ana-
baptistarum difficultatem respondentes, dici-
mus Arphaxat, & Nabuchodonosor non esse
eos, quos ipsi putant. Dioclen videlicet, & B

Arphaxat
quis fuerit.

Vide Benedi-
cti Pererium
lib. 1.
Comment. in
Danielem.

Cambysem, sed longe alios, quos, Methastenes
Persa, & Philo Iudæus libro secundo Chrono-
graphiæ recensuit. Arphaxat enim neque Me-
dorum, neque Persarum rex fuit, sed insignis
quidam, ac præpotens (vt Philo ait) factionis
Tamiricæ fautor, qui statim insurrexit postea-
quam Cyrus à Tamiri Scytharum regina in-
terfectus est, atque in locum eius successus est
Artaxeres Priscus Assuerus, qui in libro Iudith
Nabuchodonosor cognominatur, primus Me-
dorum, Persarum, & Assyriorum rex, filius Da-
rij Istaspis, qui vnà cum suo collega Cyro Me-
dis, Persis, & Assyrijs, deuictio Baltassare Ba-
byloniorum rege, imperauerat, vt in primo li-
bro Esdræ, & in volumine Danielis habetur.

Hic igitur Arphaxat factionis Tamiricæ prin-
ceps, defuncto Cyro, numerum suorum auxit.
& occupata Media, Ecbatanam regiam Medo-
rum à regibus olim Medorum extructam, &
postea à Cyro semirutam, instaurauit, & lapi-
dibus (vt in libro Iudith legitur) quadratis
muniuit. qui & ad defectionem compulit As-
syrios, Medos, ac Persas, eosque armauit ad-
uersus Artaxerxem Priscum Assuerum, cogno-
mento Nabuchodonosor, qui sese adhuc intra
Babylonis fines continebat. cui occurrens Ar-
taxerxes cognomento Nabuchodonosor, an-
no duodecimo regni sui (vt historia Iudith
narrat) fudit eum memorabili prælio in cam-
po magno Ragau, & sumpta contra rebel-
les vltione, regnum paternum vndique pacat-
um obtinuit. Postquam victoriam, cum se-
quenti anno missum à se Holophernem Iudæis
truncatum audisset, grauiter indignatus, edi-
cto publico vetuit templum erigi, sicuti Esdræ
capite quarto notatur.

Nabuchodo-
nosor in libro
Iudith quis
fuerit.

Neque cuiquam mirum videri debet, quòd
Artaxerxes hic Priscus Assuerus in libro Iu-
dith, Nabuchodonosor appelletur, quia (vt in
libro Iudith scribitur & Philo confirmat) Ar-
phaxat inuaserat Assyrios, Medos, & Persas.
hic verò Artaxerxes Assuerus solam Babylo-
niam tenebat: vbi rex communi appellatione
dignitatis Nabuchodonosor vocatur, quem-
admodum in Aegypto reges primùm Pharao-
nes, deinde Ptolemæi, & apud Romanos Cæ-
sares sunt appellati. His itaque secundum or-
dinem Methastenis, ac Philonis dispositis, om-
nis Anabaptistarum dubitatio tollitur de Ar-
phaxat, & Nabuchodonosor, qui in catalogis
regum Persarum, & Medorum apud Græcos
non inueniuntur.

Item de numero annorum: quibus Diocles
regnauit, id solum remanet discutiendū, quo-
modo Plinius dicat Ecbathanam urbem pri-
mo à Seleuco edificatam: qui post Alexandrum
magnum regnauit, & cur Iosephus historia
huius non meminerit. Scire igitur oportet, Ec-
bathanam, de qua Plinius scribit, diuersam esse
se ab ea, de qua loquitur liber Iudith, & de
qua Strabo libro vndecimo meminit, inquit;
MEDIÀ est in partes duas diuisa, quarum alteram
maiores vocant, cuius metropolis fuit Ecbathana ci-
uitas, Medici imperij caput, qua nunc etiam Parthi
regia vtuntur. At verò Ecbathana, de qua Pli-
nius mentionem facit, non in Media est, sed
vrbs Syriæ à Seleuco rege propè Caspias por-
tas viginti millia passuum condita, quam alij
Epiphaniam, alij Egbathanam per. g. eam scri-
bentes, nuncupauerunt. Quòd autem Iosephus
hanc historiam prætermiserit, sine ratione non
est, cum apud Hebræos in canone non sit: Iose-
phus enim ea solum scribenda assumpsit, quæ
in Hebræorum canone habebantur. Vnde ip-
semet Iosephus se excusans, quòd multas sa-
cras Hebræorum historias intactas dimiserit,
sic loquitur: NEMO igitur culpet me, eo quòd ita
narrauerim singula, sicut in antiquis libris inueniun-
tur scripta. nam ipso historia mea principio propter
eos, qui quæstiones mouent, & in aliquo culpæ ni-
tuntur, astruxi, dicens translaturum me libros He-
braicos in eloquium Græcum, & hos aperire, neque
adycere aliquid seorsum, neque subtrahere me promit-
tens. Hæc ille, Cur autem Hebræi librum hunc
in canone non habeant, nec satis constat, nec
à nobis anxie exquirendum: cum illum Eccle-
sia Christiana inter canonicos esse voluerit.
Hactenus de Iudith.

Ecbathana ci-
uitas qualis.

Cur Iosephus
historia Iu-
dith non me-
miserit.

Iosephus libr.
19. ant. c. 12.

4. DE LIBRO Esther, quem Anabaptistæ
conficto themate conscriptum contendunt,
non crediderim eos esse ita imperitos, vt Hiero-
nymus sensum introspicere nequiverint, sed
improbos potius, & impudentes, qui Hiero-
nymum intelligere noluerint, is enim non af-
firmat, historiam hanc à primo ipsius Hebræo
auctore conscriptam, sumpto vel conficto the-
mate, sed asserit vulgatam eius translationem
vitio translatorum fuisse vitiatam, qui sum-
pto, vt in scolis mos est, narrationis themate,
multa de suo capite translationi huic immi-
scuerunt. Hæc enim sunt ipsa Hieronymi ver-
ba: LIBRVM Esther, varijs translatoribus constat
esse vitiatum: quem ego de archiuis Hebræorum reue-
lans, verbum è verbo expressius transtuli. quem li-
brum editio vulgata lacinosiss hinc vnde verborum
finibus trahit, addens ea, quæ ex tẽpore dici poterant,
& audiri: sicut solitum est scholaribus disciplinis sum-
pto themate excogitare, quibus verbis uti potuit, qui
iniuriam passus est, vel qui iniuriam intulit. Hæc
Hieronymus. proinde si translatores aliquid
vel ex Iosepho, vel ex quopiam alia pia inten-
tione addiderunt, nihil hoc derogat Hebraicæ
veritati, quæ in sua semper sinceritate inuiola-
ta permansit, & ad nos ex D. Hieronymi tran-
slatione in sua integritate peruenit: qui, vt ex
eius scholijs apparet, sex illa postrema capita,
vt ascititia resecurit, & Ecclesia catholica ea-
dam tanquam ascititia & apocrypha neglexit.
5. Ex quibus palam fit, Anabaptistarum con-

Auctor libri
Esther conficto
themate non
est usus, sed ip-
sus interpre-
tes.

Hæc sententia
Sexti nullomo-
do est proban-
da vide Bel-
larminum li-
r. de verbo
Dei. cap. 7.

trouersiam inter secundum caput huius libri, & vndecimum, & duodecimum eiusdem libri capita nullam esse, ~~quod in~~ ~~capitulis~~ ~~habetur~~. Fatemur tamen, Artaxerxem illum, de quo in ~~capitulis~~ illis capitibus agitur eundem esse cum eo Assuero, de quo in toto libro Esther iuxta Hebraicam veritatem sit mentio. qui etiam Philone teste, Magnus Artaxerxes, & Assuerus Darius Mnemon dictus est, quintus post Cyrum, Persarum, Medorum, & Assyriorum rex. Cuius regni anno duodecimo hæc historia contigit, quemadmodum tertio Esther capite narratur: agente Mardocheo animum ferme vite sue centesimum octogesimum. Et ne cui incredibile videatur Mardocheum tanto tempore superuiuere potuisse, habemus testimonium Philonis, qui libro secundo Chronographiæ sic scribit, *Ei successit Ioachaim, item secundo pontifex, annis quadraginta octo usque ad duodecimum annum magni Artaxerxis, qui gesta Esther scripsit, & memoriam מרדכי phurim instituit, hortante illum per literas Mardocheo, qui decem & octo annis etatem Isaac superauit.* significans his verbis, Mardocheum vixisse annis centum nonaginta octo, Isaac enim, vt in Genesi legitur, vixit annis centum octoginta. Nec impossibile existimandum est, quod tam longæuus senex integris adhuc viribus in aula regia seruerit, cum nihil impossibile sit apud Deum, qui ob amorem, quo maxime populum suum prosequabatur, talem virum ad id ætatis præter solitum humanæ vitæ cursum perduxerit, vt populus in quo gentium oppressus, eo viuente liberaretur. Sic & Iesum sacerdotem magnum, vt Philo scribit, centum triginta annos superstitem esse voluit, vt eo vnâ cū Esdra, ac Zorobabele duce, populus à Babylone in Hierusalem reuocaretur. Sic Tobiam seniore, vt vltimum eius historiae capitulum testatur, ad centesimum secundum annum perduxit, vel vt Græca editio habet, vsque ad annum ceterimum quinquagesimum octauum, vt eorum, qui erant in captiuitate Salmanasar calamitas, eo consolatore, ac benefactore ex parte leuaretur: sicut ea ipsa causa vitam filij eius Tobiae vsque in nonagesimum nonum, vel vt in Græco habetur vsque in centesimum vigesimum septimum annum prorogauit: & Iudith ad annum centesimum vigesimum quintum peruenire fecit, vt ea superstita, patria ab ea liberata, diutius libertate sua frueretur.

DE LIBRIS MACCABÆORUM HÆRESIS XII.

LIBROS Maccabæorum nec esse canonicos, nec dignos, qui sacris libris annumerentur.

ASSERTORES HUIUS HÆRESEOS.

LUTHERI, & Anabaptistarum hæresis hæc est. Lutherus enim cum negaret suffragia mortuorum, & inuocationem sanctorum, & templorum dedicationes, videretque hos libros erroribus suis aduersari, illorum auctoritatem

reiecit. Anabaptistæ verò, qui præter hæc etiam sanctos extra regnum cælorum vsque ad diem iudicij perpetuò dormire, & pro nullo orare affirmant, cum suam assertionem horum voluminum testimonijs destrui animaduertent, Lutero in hac eadem hæresi subscripsere.

IMPUGNATIO.

LIBROS Maccabæorum esse inter diuinas, & canonicas scripturas recipiendos, Euangelij, & Ecclesiæ auctoritas ostendit, ac eorum ingens vtilitas persuadet. Sūt enim vehementer vtilis ad confutandas præcipuè nostrorum temporum hæreses. Habentur enim in secundo Maccabæorum volumine clarissima testimonia de Purgatorio, de Suffragijs pro mortuis agendis, & de Orationibus sanctorum, qui hinc ad mortalem vitam abierunt. Ad pietatem verò, & ad omnes virtutes plurimum conferunt, prouocantes nos ad fortitudinem, patientiam, ac spem in afflictionibus, & ad mortem si opus fuerit, propietate sustinendam, exemplo nobilis Eleazari, ac illorum septem fratrum, qui pro sacris legibus tā dira tormenta passi sunt; quos mater pia dum diuersis supplicijs vrgerentur, non solum non fleuit, sed & gaudens hortata est ad gloriam passionis. Digni sunt etiam hi libri vt inter sancta scripta referantur ad certitudinem, & confirmationem multarum rerū, quæ in alijs sacre Scripturæ libris inueniuntur. permulta enim sunt antea à prophetis prædicta, quæ in his libris verissime leguntur completa. vt quod Daniel de abominatione in templo futura præuidit, hæc volumina indicant in Antiocho fuisse completum, qui abominandum idolum desolationis, nempe suam ipsius statuam posuit super altare Dei in templo, & libros legis combussit, aliaque passim indigna fecit, quæ præsentis historia commemoratur. Item, quod Deus per Zachariam prædixit, visitaturum se super hircos, & quod ex Israël egrederentur, qui exigerent, ac debellarent hircos illos in gloria magna, Hieronymus sententiam Hebræorum non improbens, in Maccabæis completum exposuit, qui contra hircos, hoc est, contra Antiochum, Demetrium, Gorgiam, & Nicanorem, qui per hircos à Daniele in regno Græcorum designantur, fortiter præualuerunt. in euangelio quoque Ioannis testimonium inducitur de festo Enceniorum, id est, renouationis tēpli, de cuius institutione, in primo, & secundo Maccabæorum volumine agitur. Nec desunt etiam grauiissimi auctores, qui cum Theodoreto Cyrensi episcopo asserant, Paulum ad Hebræos scribentem, de cæde septem fratrum, quæ in secundo libro refertur, intellexisse, cum dixit: *ALIi autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem, quæ verba nullis magis conueniunt, quàm septem illis fratribus absque vlla pœnarum remissione, per omnia tormentorum genera distractis. Quin & Ecclesiæ antiquissima consuetudo hos libros pro canonicis approbat, dum in sacris mysterijs, quæ pro mortuis aguntur, historiam Iudæ Maccabæi donaria pro peccatis mortuorum offerentis ex posteriore volumine desumit. Cumque tam*

*Mardochei
anni vita.*

Gen. 35. 38.

*Cur Mardocheus tam diu
vixerit.*

*Multi in car-
sitate Iudæi
longeui fue-
runt & cur.*

*Maccabæorum
libri proban-
tur esse cano-
nici.*

*2. Macc. 12.
43. 44. 45.*

*2. Macc. 15.
12. 14.*

*2. Macc. 6. 18.
19. 21. & 7.
per totum.*

*Dan. 9. 17.
Hier. sup. 9.
Dan. & sup.
24. Mat.
1. Macc. 157.*

Zach. 10.

*Libri Maccabæorum habent
testimonium
ex nouo testa-
mento.*

Ioan. 10. 21.

*1. Macc. 4.
56. 59.*

*2. Macc. 10.
5. 8.
Heb. 11. 35.*

2. Macc. 7.

*Ab Ecclesia
recepti esse pro-
bantur.*

*2. Macc. 11.
43. 44.*

que tam multi in veteri testamēto, fuerint iusti, Ecclesia tamen Christi singulari quodā privilegio, ut ait Bernardus, his solis ex omnibus antiquis iustis, annuam solemnitatem decreuit. His accedunt innumera vetustissimorum Patrum testimonia ex his libris tanquam de canonicis scripturis desumpta. Origenes in commentarijs super quintum caput epistolæ ad Romanos, redarguens Valentinorum errorem, qui dicebant in veteri lege nullum fuisse ausum mori pro Deo veteris testamenti: quia scirent eum non esse bonum, huius historiæ testimonia tanquam canonico vtens, inquit: **S E D** quid agent? quia inuenimus, & in lege martyres multos. legant *Maccabæorum libros, ubi cum omni instantia beata mater cum septem filijs martyrium suscepit, qui que non solum martyrium patienter excipiunt, verum & contumelias ingerant in tyrannos. & videant si verum est, quod dicunt.* Eusebius Cæsariensis libro duodecimo Euangelicæ præparationis, ostendens sanctorum animas à corpore solutas nobis in necessitatibus opē ferre, vtitur horum voluminum auctoritate inquiring: *Credendum ergo est pias defunctorum animas virtutem quandam habere, qua vel post mortem rebus humanis auxiliantur. Sic certè de Ieremia traditum fuisse Iudei contendunt, & Maccabæorum historia retulit, visum ipsum fuisse post mortem orare pro populo.* Ambrosius lib. primo Officiorum exemplis ducum Maccabæorum astruit, sanctos quoque virtutem bellicam decere. Theophilus Alexandrinus episcopus, ad totius Aegypti episcopos scribens, libro quarto Paschalis, hortatur eos ad abstinentiam carniū, sumpto ex hac historia exemplo septem fratrum, qui ne illicitis carnibus vescerentur, corpora cruciatibus obtulerunt. Augustinus quoque libro secundo de doctrina Christiana, duos Maccabæorum libros in canone diuinarum Scripturarum collocat. & libro decimo octauo de ciuitate Dei, de auctoritate horum voluminum inquit: **M A C C A B Æ O R V M** libros, non Iudei, sed Ecclesia pro canonicis accipit, propter quorundam martyrum passiones vehementes, atque mirabiles: qui antequam Christus venisset in carnem vsque ad mortem pro lege Dei certauerunt, & mala grauissima atque horribilia pertulerunt. Atque hoc ipsum alijs etiam suorum operum locis testatur, maxime verò in libro De cura pro mortuis agenda, & sermone 44. ad fratres in eremo: quibus in locis ex duodecimo capite posterioris libri Maccabæorum probat, orationes, & sacrificia pro mortuis offerēda. Omitto breuitatis gratia cōcilium Carthaginense tertium, epistolam Innocentij Papæ ad Exuperium, Gelasij Pontificis catalogum, & decretum concilij Florentini sub Eugenio quarto: in quo ex horum voluminum testimonio error Græcorum De purgatorio damnatus est, atque alia innumera, quæ horum librorum auctoritatem tuentur, & ne tædium lectori pariam, ad hereticorum obiectiones me conféro.

O B I E C T I O N E S H Æ R E T I C O R V M.

I. **M V L T A** sunt in his libris, quæ à communi omnium historiarum consensu discrepant,

A & à fidei Christianæ veritate dissentiunt, propter quæ meritò reijciendi videntur. ac primum, quò ad historiæ veritatem pertinet, initio statim primi voluminis legitur, Alexandrum Macedonem, Philippi filium, primum regnasse in Græcia. cui opinioni historiæ omnes repugnant. Etenim Eusebius Cæsariensis diligentissimus temporum supputator, cæteri que Chronologi, multos ante Alexandrum in Græcia regnasse scribunt, & apud Macedonas maximè: quorum primus fuit Gramæus, à quibusdam etiam Carranus dictus: quo tempore apud Hebræos regnauit in Iuda Ozias & in Israël Ieroboam. Alexander autem Macedo vigesimus quartus regnauit in Græcia, Iaddo pontifice maximo apud Hebræos existente, anno mundi 4860. Olympiade CXI.

2. **I B I D E M** quoque scribitur Antiochum Epiphanem regnare cœpisse anno centesimo trigesimo septimo regni Græcorum, quod ab Alexandro incepit. In Chronicis verò Eusebij, & in cæteris Græcorum annalibus ab Alexandro ad initium regni Antiochi per singulos reges numerando, inueniuntur anni multò plures, videlicet centum quinquagintatres. Vnde non ineptè Ioannes Annius peritissimus Chronographus, videns controuersiam istam sedari non posse, scripsit in commentarijs super Chronographia Philonis, Iosephum hos libros apocryphos reddidisse, dum ipsorum historiam per male supputata tempora distinguere voluit.

3. **D E** morte item Antiochi, ac mortis genere, causa, loco, ac tēpore, libri Maccabæorum tam gētium historijs, quàm sibi contraria narrant. Nam de mortis genere, primo volumine scribitur, eum præ animi tristitia in lectum decidisse, factoque testamento, & instituto regni successore, diem obiisse: contra verò, initio secundi libri, legitur eum violenta morte interiisse, lapidibus, scilicet à sacerdotibus percussus, & vna cū socijs suis reciso capite, membratim dilaceratū. Deinde nono eiusdem libri capite, alio quoque violentæ mortis genere periisse refertur: nempe, quòd fugiens de curru ceciderit & collisis totius corporis mēbris, marcescentibus vndique carnibus, & scaturientibus toto corpore vermibus, inter horribiles dolores ac fœtores miserè expirauerit.

D De loco verò mortis, primo libro dicitur, eum in Babylone, & in proprio lectulo, diuturno langore confectum vita excessisse. sub exordium verò secundi libri scribitur, eum intra fanum Naneæ, in Perside à templi sacerdotibus occisum: infra autem capite nono eiusdem libri in itinere, iam transgressum Ecbatanam legitur interiisse.

E Nec minor est de tempore diuersitas, dum primus Maccabæorum allerit, defunctum Antiochum anno centesimo quadragesimonono regni Græcorum: secus autem principio posterioris libri narratur eundem mortuum anno centesimo octogesimo octauo regni Græcorum. & nono eiusdem libri capite, colligitur, eundem esse mortuum anno centesimo quadragesimo sexto regni Græcorum. obiit enim biennio ante purgationem templi Hierosoly

Ber. epi. 313.

Veteres Patres Maccabæorum testimonio vtuntur.

2. Macc. 15. 14.

2. Mac. 7. 1.

cap. 8.

cap. 36.

Zibr. 3. con. 2. Gaud. epist. cap. 23.

2. Macc. 12. 43. 44.

1. Mac. 1. 1.

Quis primus regnauit in Græcia.

1. Mac. 1. 8.

De morte Antiochi varia opiniones.

1. Mac. 6. 8.

2. Mac. 1. 16.

2. Macc. 9. 5. 6. 7.

De loco mortis Antiochi.

De Tempore. 1. Mac. 6. 16.

2. Mac. 1. 10.

1. Mac. 4. 52. Ierosolymitani factam à Iuda Maccabæo: ea vero, vt primus Maccabæorum testatur, contigit anno centesimo quadragesimo octauo regni Græcorum, vigesima die mensis Casleu, id est, mensis noui,

De causa moris. De causa quoque mortis eius, minime conuenit historia Maccabæorum cum externis gentium historijs. Polybius enim Megalopolita, quem Iosephus virum optimum nominat, & Liuius non contemnendum autorem appellat, atque vnà cum Polybio, Diodorus Siculus, ambo referunt, Antiochum Epiphanem templum Dianæ in Elimaide ditissimum spoliare conantem, oppressumque à custodibus, & à vicinis circum gentibus fugatum quibusdam phantasijs, atque terroribus versum in amentiam, ac morbo postremum ea de causa interiisse. quòd templum Dianæ violare voluisset. sed vterque Maccabæorum liber, omnium malorum ac mortis Antiochi causam rejicit in calamitates iniuste iudæis illatas, & templum Iudaicum ab eo impietatibus omnibus contaminatum.

1. Mac. 4. 52. 4. Est etiam cõtradictio implacabilis de rebus à Iuda Maccabæo gestis, ac de morte eius inter vtrosque libros. cum enim in primo volumine testetur auctor, templum à Iuda purgatum, & altare Dei instauratum anno centesimo quadragesimo octauo regni Græcorum, die vigesimo mensis Casleu, anno videlicet vno ante mortem Antiochi Epiphanijs, in secundo volumine idem auctor scribit, eandem templi purificationem factam à Iuda, biennio post mortem Antiochi, anno scilicet regni Græcorum centesimo quinquagesimo primo. Cui Eusebius in Chronicis consentit. scribens Iudam Imaginibus idolorum emundasse templum anno Antiochi Eupatoris secundo, triennio postquam ab Antiocho Epiphane fuerat contaminatum.

1. Mac. 9. 18. De morte similiter Iudæ, primo libro Maccabæorum dicitur, quòd, inito aduersus Demetrii Soteris duces prælio occiditur, sexto, vt Eusebius annotat, Demetrii anno, hoc est, annis octo post mortem Antiochi illustris, regni verò Græcorum anno centesimo quinquagesimo secundo. sed principium secundi Maccabæorum ostendit Iudam triginta post hoc tempus annis viuentem, sub Demetrio decimo quarto rege Syriæ, qui quartus regnavit post Demetrium Soterem, scripsisse vnà cum senatu Iudæorum epistolam ad Aristobulum magistrum Ptolemæi Philometoris anno centesimo octogesimo octauo regni Græcorum.

2. Mac. 1. 19. 5. CONTINENTVR item hac historia non pauca fabulosa, & incerta, quæ quod etiam peius est, de testimonijs falsò ex libris prophetarum inductis confirmantur, quale illud est, quod posteriori volumine recensetur, nimirum, sacerdotes iussu Ieremiæ prophetae acceptum ignem de altari abscondisse in vallem, vbi puteus erat altus, & siccus, quem post annos multos Nehemias reuersus de captiuitate, per nepotes illorum sacerdotum, qui eum absconderant, effodi iussit. Rursusq; Ieremiam eodem transmigrationis tempore abscondisse tabernaculum, arcam, & altare incensi in spe-

lunca montis Nebo, in quem Moses iam moriturus ascenderat. Præterea confirmat hæc ex libris Ieremiæ Prophetae, & Nehemias, cum tamen nihil vnquam tale factum, aut dictum in toto veteri testamento legatur, neque etiam factu possibile fuerit: quia Ieremias toto tempore Hierosolymitanæ obsidionis vsque ad vltimum vrbis excidium in carcere fuerit, vt ex 37. & 38. capite eius libri apparet, qui sicut ante vrbis excidium hæc facere non potuit, ita neque post: capta enim ciuitate, statim Chaldæi omnia preciosa templi rapuerunt, & asportarunt in Babylonem, quemadmodum in quarto Regum volumine scriptum inuenitur, inter pretiosa vero, pretiosissima erant, tabernaculum, in quo, vt in Exodo legitur, erant innumeri annuli aurei, tabulæ, & columnæ aureis laminis contextæ, bases aureæ atque argenteæ quam plurimæ, arca quoque aureis laminis mundissimis intus & extra vestita erat. quæ, quis credat Chaldæos prædæ auidos Ieremiæ dono dedisse, qui nec minoris pretij rebus abstinerunt, frangentes omnia vasa argentea, & ærea, & secum in Caldæam asportantes? Quæ etiam si Ieremias ab ei dono accepisset, non fuerat taciturus, cum nec minima ab eis accepta beneficia tacuerit, nec cibaria, & munuscula à magistro militiae Assyriorum accepta silentio præterierit.

C 6. NEQVE omittendum est, quod in his libris etiam aliqua contra diuinã, ac naturalem legem imitanda proponuntur, præcipue verò in fine posterioris libri: quo in loco auctor magnificis admodum verbis voluntariam Razia necem extollit, laudans eum, quòd sibi ipsi fortiter manus intulerit, malueritque nobili, & honesta morte suis ipse manibus generosè occumbere, quàm turpiter in hostium potestate viuere, & contra natalium suorum splendorem, ab indignis hominibus contumelias experiri. quod quidem facimus, tantum abest vt laudem vllam fortitudinis mereatur, vt etiam summæ timiditatis, & impatientiæ nota dignum sit, non solum apud fideles, sed etiam apud ethnicos philosophos, quorum præcipuus Aristoteles, quid de hoc facto sentiret, in tertio Moralium libro his verbis indicauit: *MORTEM autem sibi consciscere ob fugiendam inopiam, aut amorem, aut aliud quicquam graue, non fortis est hominis, sed magis timidi. est enim mollities, laboriosa fugere. non enim, quia mors honesta sit, appetit ipsam, sed quia malum deuitare se putat.*

7. QVAPROPTER non immeritò Hebræi hos libros de canone diuinarum scripturarum abiecerunt, tanquam prophanos, & à prophano, ac gentili auctore de mendacibus Græcorum historijs descriptos, sicut ipsemet auctor in secundo volumine testatur his verbis: *Ab Iasone Cyreneo quinque comprehensos libros tentauimus vno volumine breuiare. Quem abbreviato rem aliqui putant Græcum quendam, prout stylus indicat, ante Christi tempora fuisse: alij verò, in quibus Hieronymus in libro de viris illustribus, & libro secundo contra Pelagianos, Iosephum Hebræum fuisse existimant.*

8. SED cuiuscunque sit auctoris historia, palam est, apud veteres patres eam nullius fuisse authori

4. Reg. 20.
17. 18. & 25.
13. 14. 15.
Ex. 26. 29.

2. Mac. 14.
42. 43.

Mortem sibi
consciscere timiditatis &
impatientis
signum est.

3. Eth. 20.

2. Mac. 2. 24.

Eus. lib. 6. his.
eccl. cap. 18.

Idem lib. 4. c.
26 Philastrius
in cal. ca. 88.

authoritatis. nam si de Græcis loquimur, Ori-
genes in præfatione psalmi primi, Maccabæorum libros de Canone rescidit: Melito Sarden-
sis episcopus, respondens Onesimo consulenti eum de libris canonicis, nullam in catalogo suo historiæ huius fecit mentionem. & Epiphanius in libro de ponderibus & mensuris hos libros in numero sacrorum non recepit. Inter Latinos verò Philastrius eos ex catalogo diuinorum voluminum explodit: idemque facit Hieronym. in præfatione Prouerbiorum hæc scribens: **M A C C A B Æ O R V M** libros legit quidem ecclesia, sed inter canonicas scripturas non recipit ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam. Atque id ipsum repetit in prologo galeato. Quin & Gregorius libro decimonono Moralium excusans se quod ex libris Maccabæorum testimonia recipiat: **N O N** inordinate, inquit, agimus, si ex libris non canonicis, tamen ad ecclesie adificationem editis, testimonia proferimus. Quibus sanè verbis indicat suo tempore, sexcentis videlicet annis post Christum, libros istos non fuisse canonicos. Concilium quoque Laodicenum eos in catalogo sanctarum scripturarum non enumerat.

DISSOLVTIO OBIE-

CTORVM.

I. **A N A B A P T I S T Æ** historiæ imperitia decepti, in re luce clariore hallucinantur. non enim intelligendum est Alexandrum ita primum in Græcia regnasse, vt nullus ante eum in Græcia rex fuerit, sed quòd is primus fuerit, qui tota passim Græcia, exclusis alijs regibus, qui in ea regnabant, imperauerit, sicut Methastenes eius temporis scriptor testatur.

2. **Q U O D** autem secundo loco de annis regni Antiochi asserunt, tam facilem habet solutionem, vt non opus sit vnà cum Anno supputationes annorum huius historiæ tanquam à Iosepho superadditas reijcere, cū Eusebius in Chronicis præsentè supputationum diuersitatem ad veram concordiam facile reuocet, inquit in vtroque Maccabæorum libro non supputari annos regni Græcorum ab Alexandro magno, sicut extremæ historiæ supputant, sed à Seleuco cognomento Nicanore, qui annis vndecim à morte Alexandri completis, regnare cœpit in Syria: quibus si quinque anni addantur, quibus Alexander tanquam monarcha tota Græcia regnauit, resultat numerus annorum centum quinquagintatrium, qui in Græcorum historijs habetur. Igitur si iuxta primum Maccabæorum volumen accipiamus initium regni Græcorum inuenimus, Antiochum inijsse regnum anno centesimo trigesimo septimo regni Græcorum. Si autem eiusdem regni Græcorum annos ab Alexandro supputemus, vt Græcorum historiæ faciunt, inuenimus Antiochum regnare cœpisse anno centesimo quinquagesimo tertio regni Græcorum.

3. **D E** genere verò mortis Antiochi, non desunt, qui credant Antiochum illum, cuius cædem epistola Senatus Hierosolymitani ad Aristobulum refert, diuersum esse ab eo Antiocho, quem historia Maccabæorum ex animi aegritudine perijsse narrat. Nos tamen iustis de

causis eundem Antiochum vbique describi existimantes, dicimus nihil inter se discrepare huius historiæ partes, vtrunque enim verissimum est, & quòd Antiochus animi mœrore consternatus, in languorem incidit, vt primus Maccabæorum testatur, & quòd eodem languore oppressus de Perside aufugerit, & in fuga de curru excussus, collisione membrorum, & viscerum conuulsione inter dolores, ac fœtores interierit: sicut in secundo Maccabæorum legitur.

De temporum verò diuersitate circa Antiochi mortem, nulla dissensio est, si ad varias temporum supputationes recurramus. Qui enim in primo Maccab. scribitur obijsse anno centesimo quadragesimonono regni Græcorum, secundum supputationem à Seleuco inceptam, ille idem initio posterioris voluminis dicitur obijsse anno ceteresimo octogesimo octauo, non quidem regni Græcorum, vt subdoli Anabaptistæ addiderunt, sed anno centesimo octogesimo octauo Hebraicæ supputationis, supputando scilicet numerum annorum, non ab initio regni Græcorum, sed quemadmodum Rabanus, Lyranus, & Carensis docent, à duodecimo anno regni Assueri regis, à quo nonnulli Hebræorum supputationes suas inceperunt: quia eo anno contigerit admirabilis illa filiorum Israël liberatio per Esther, & Mardocheum, à quo tempore si per singulos regum annos vsque ad mortem Antiochi supputatio fiat, inueniunt anni centum octoginta octo. Quibus duabus computationibus, tertia quoque supputatio respondet, quæ ex secundi libri capite decimo colligitur, vbi scriptum est, Antiochum biennio ante purificationem templi factam à Iuda interijsse. ea autem cōtigit, non vt Anabaptistæ somniarunt, anno centesimo quadragesimo octauo regni Græcorum, sed anno eiusdem regni centesimo quinquagesimo primo, sicut ex prædicto secundi libri capite colligitur. Neque illud obest, quod ab ipsis de primo Maccabæorum libro producitur, Iudam videlicet purgasse templum anno centesimo quadragesimo octauo regni Græcorum die vigesimo mensis Casleu: cum id de prima templi purificatione facta per Iudam anno vno ante mortem Antiochi intelligendum sit: hoc verò quod in secundo libro scribitur, de secunda purificatione templi ab eodem Iuda iterum biennio post mortem Antiochi facta intelligatur.

De loco item mortis Antiochi omnis controuersia tollitur, si verba posterioris libri ab Anabaptistis producta quidem, sed non intellecta diligentius inspiciantur. putarunt enim Antiochum in templo Nanneæ in Perside vnà cum socijs occisum: quia initio eius libri scriptum sit: **E T** cum intrasset Antiochus templum, mittentes lapides percusserunt ducem, & eos, qui cum ipso erant. Verum ex verbis istis non elicitur, Antiochum fuisse occisum, sed lapidibus solummodo ictum. quod autem statim sub prædictis verbis adiungitur: **E T** diuiserunt membratim, & capitibus amputatis foras proiecerunt: ad socios eius refertur, in quorum cædem cum sacerdotes nimium insisterent, Antiochus

1. Mac. 6.

Is Antiochus est idem.

2. Mac. 9. 6.

7. 8

1. Mac. 6. 16.

2. Mac. 1. 10.

Vide Bened.

Pererium lib.

9. Commēt. in

Danielem. &

Rob. Bellar.

lib. 1 de verbo

Dei cap. 15.

2. Mac. 10.

3.

1. Mac. 4. 5 2.

Hæc sententia

improbatur

ab alijs vt à

Bellarmino li.

6. de verbo

Dei cap. 15.

De morte An

tiochi scripto

ra concordat

tur.

2. Mac. 15.

16.

Alexander
in Græcia cur
primus regnas
se dicatur.

Supputatio
Annorum in
lib. Maccabæorum vnde
sumenda.

An idem sit
Antiochus cu
ius mors in 1.
& 3. lib. Mac
cab. descri
bitur.
2. Macc. 1.
16. 8. 9.

Antiochus interim elapsus est. neque ab hac sententia discrepat quod eiusdem libri capite nono legitur, Antiochum intrasse Persipolim, quæ & Elimais in primo Macchabæorum appellatur, Persidis (vt Ptolemæus scribit) metropolim, & cum tēplum expoliare voluisset, concurrente multitudine ad arma, versum in fugam: in qua cum iam Ecbatanam præteruētus esset, curru decidit. Et in Babylonica regione, vt primo, & secundo libro legitur, relicto successore regni Antiocho Eupatore, inter cruciatus, & fœtores occubuit, non quidem ob causam à Diodoro, & Polybio scriptam, sed ob sacrilegium templi Hierosolymitani ab eo perpetratum, sicut ipsemet Antiochus moriens in vtroque libro fatetur, & Iosephus duodecimo Antiquitatum confirmat, his verbis Polybium redarguens: *MIROR Polybium Megalopolitam virum bonum dicere, Antiochum ideoperuisse, quia voluit templum Diana in Perside violare. nam, qui nullatenus egit peccatum, sed tantum cogitauit, nullo facti reatu tenetur. Si autem Polybio videtur, ideo Antiochum vitam finisse, multo plus verisimile creditur, propter templi Hierosolymitani vastationem sacrilegam peruisse.*

4. **TRANSEON**unc ad gesta Iudæ Macchabæi, quæ nullam sanè difficultatem patiuntur, si iuxta prædictas supputationes distinguantur.

Constat enim (vt supra monuimus) Iudam bis purgasse templum: primo quidem, anno vno ante mortem Antiochi, statim postquam ab ipso fuerat violatū, hoc est, anno centesimo quadragesimo octauo regni Græcorum à Seleuco supputati, sicut primo Macchabæorum legitur: secundo verò post mortem Antiochi biennio, anno videlicet regni Græcorum à Seleuco supputati centesimo quinquagesimo primo: sic enim in secundo libro Macchabæorum scribitur, & apud Eusebium habetur, Iudam purgasse templum triennio post quàm fuerat ab Antiocho prophanatū, post quam purgationem annis sex vel circa, Iudas moritur, sexto Demetrii anno, vt primus liber testatur. Hic autem Demetrius non ille est, quem Anabaptistæ,

nomina falsò transponentes, mentiuntur, decimus scilicet Syriæ rex, cognomento Sothere; sed alter Demetrius quartus decimus Syriæ rex, cuius anno sexto Iudas in bello cecidit, anno scilicet regni Græcorum, à Seleuco supputati ceteresimo quinquagesimo sexto, vel circa, vt Eusebius tradit. Scripserat autem prius epistolā, quæ initio secundi voluminis ad Aristobulum habetur, regnante Demetrio Sothere, anno Hebraicæ ab Assuero supputationis centesimo octogesimo octauo, qui secundum Græcam à Seleuco supputationem, est annus fermè quinquagesimus quintus; quo tempore aperte constat vixisse Aristobulum illum Ptolemæi Philometoris regis Ægypti præceptorem, natione Iudæum, professione Philosophum, secta Peripateticum, qui ad eundem Ægypti regem (teste Eusebio) commentariā in Mosem scripsit.

5. **ILLVD** verò, quod aiunt, fabulosa quædam falsò in hac historia de sanctis Nehemiæ, Ieremiæ libris induci, quæ nullibi in ijs eorum sacris voluminibus leguntur, hæretico-

rum calumnia est: cum nullū ex diuinis & Canonis Nehemiæ, vel Ieremiæ voluminibus in secundo Macchabæorum libro citetur: sed solum descriptiones quædam, & commentaria Nehemiæ, & Ieremiæ, sic enim eo loco scribitur: **INVENITVR** in descriptionibus Ieremiæ propheta, & paulo post, **INFEREbantvr** autem in descriptionibus, & commentarijs Nehemiæ quos certe nemo, qui commentarij significationem intelligat, eos esse putabit, qui in Canone veteris testamenti computantur. Commentarij enim, vt ex Bruto Ciceronis apparet, libri sunt, in quibus quotidiani euentus, nō latius, ac fusiùs, sicut in historia describuntur, sed quæ-

tum fieri potest, pressius, ac strictius annotantur, At in libris prædictis, qui in canone habentur, singula in morem historiæ, extensa in longum narratione, protenduntur. Credendum est itaque alios olim fuisse commentarios in quibus hæc de igne, arca, & altari abscondito continerentur, vel à Ieremia, vel à Baruch eius scriba, vel à quopiam alio conscripto. & quia Ieremiæ gesta continerent, eiusdem nomine adtitulatos: qui fortè, quòd nihil ad prophetiam attinens haberent, inter diuinos libros non fuerunt assumpti. nam & Hieronymus capite 27. in Matthaum testatur se Ieremiæ apocryphum quendam legisse librum, quem ei Iudæus quidam Nazarenæ sectæ attulerat. Neque ob id damnandus est auctor, quod de scriptis apocryphis in rebus veris, ac sacris testimonia induxerit, cum Paulus, vt aliàs ostendimus, non solum ex apocryphis, sed ex prophanis libris, a Arato videlicet, b Menandro, & c Epimenide, testimonia sumpserit, & d Iudas in epistola sua apocryphum Enochii librum citauerit. Quod verò inquit fieri nequaquam potuisse, vt arca, altare, & tabernaculum à Ieremia absconderentur, nimis ab eis imprudenter asseritur. Quid enim prohibet hæc ante,

vel ipso vrbs excidio hortatu Ieremiæ in carcere existentis, à pijs viris potuisse occultari? sicut ipsa historiæ verba innuere videtur, cum dicunt: **INVENITVR** in descriptionibus Ieremiæ propheta, quod iussit eos ignem accipere: qui transmigrabant, vt significatum est, & vt mandauit transmigratis. Nec desunt vetusti patres: qui hoc à Ieremia factum verissime crediderint quemadmodum Theophylactus in cōmentarijs super nonum caput epistolæ ad Hebræos, Epiphanius in vita Ieremiæ propheta, & Dorotheus Episcopus Tyri in Synopsi, qua vitas prophetarum complectitur. Neque obstat, quod in secundo Macchabæorum scribitur: **Et veniens ibi Ieremias, inuenit locum speluncæ, & tabernaculum, & arcam, & altare intulit illuc, & ostium obstruxit.** fieri enim potest, vt quod ab alijs ante vrbs direptionem iussu Ieremiæ in carcere detenti factum sit, Ieremiam ipsum fecisse dicatur, iuxta vulgarem diuinæ scripturæ consuetudinem, quæ frequenter id auctori tribuere solet, quod per alios auctoris iussu factum est.

6. **DE RAZIÆ** facto, cuius causa Anabaptistæ totam historiam improbè vituperant, Augustinus epistola sexagesima prima ad Dulciciū respondet his verbis: **IN MACCHABÆORVM** libris, quannvis Raziæ fuerit laudatus, factum tamen

Macch. 2. 1.

13.

2. libr. Hierem. & Nehem. in libr.

Mach. citentur Commentarij libr. qui sim.

sim.

a Act. 17. 28.

b 1. Cor. 15. 33.

c Tit. 1. 12.

d Iud. 1. 14.

Arca quando transferri à Hieremia potuit.

2. Macc. 2. 1.

2. Macc. 2. 5.

2. Macc. 2. 5.

2. Macc. 2. 5.

2. Macc. 2. 5.

2. Macc. 2. 5.

2. Macc. 2. 5.

2. Macc. 2. 5.

2. Macc. 2. 5.

2. Macc. 2. 5.

2. Macc. 2. 5.

2. Macc. 2. 5.

2. Macc. 2. 5.

2. Macc. 2. 5.

2. Macc. 2. 5.

2. Macc. 2. 5.

tamen eius narratum est, non laudatum, & indicandum potius quam imitandum, ante oculos constitutum: nō iudicio, quod nos ut homines habere possemus, sed iudicio doctrinæ sobriæ, quæ in ipsis quoque libris veteribus clara est, lōge quippe fuit iste, Razias à verbis illis, ubi legitur: OMNE, quod tibi fuerit applicitum, accipe, & in dolore sustine, & in humilitate patientiam habe. non enim fuit iste vir eligendæ mortis sapiens, sed ferendæ humilitatis impatiens. scriptum est, quod voluerit nobiliter mori, sed non sapienter. Deus enim dicit: INNOCENTEM & iustum ne occidas. & idem libro secundo contra secundam epistolam Gaudentij. capite vigesimo tertio: RAZIAS ait quoniam fugere non valuit, minus fortasse sui sanguinis reus est, quod sibi intulit mortem, quam comprehenso inimicus fuerat illaturus. Laudatus est Razias, ut amator ciuitatis, ut valde bene audiens, id est, bonæ famæ, quia pater Iudæorum appellatus est, & quod continentiam tenuerit in Iudaismo. istam vero eius mortem mirabiliorem quàm prudentiorem narrauit, quemadmodum facta esset, non tanquam faciendâ esset laudauit. Mentuntur ergo hæretici, factum istud laudatum, & nobis ad imitationem propositum asserentes.

7. DE sententia Hebræorum circa hos libros, quæcunque ea sit nihil refert, cùm Ecclesia Catholica eos in canone recipiat. Nec quicquam illorum fidei derogatur, etiam si ab auctore prophano scripti sint, cùm libri fides non ab auctore sed ab Ecclesiæ Catholicæ, auctoritate pendeat, & quod illa acceperit, verum, & indubitatum esse oportet, à quocunque dictum sit auctore, quem ego neque sacrum neque prophanum ausim affirmare, neque Hieronymus vnquam ex propria sententia libros istos, aut Iosephi, aut cuiuspiam alterius affirmavit, sed, IOSEPHVS, inquit, Maccabæorum fertur scriptor historia. quod autem sic à quibusdam creditum fuerit, inde fortasse euenit, quia audierint apud Eusebium, vel alios auctores, Iosephum Maccabæorū librum scripsisse, & hunc eum esse putauerint, qui inter canonicos annumeratur, quod quidem ita non est. Nam liber is, quem Iosephus de Maccabæis scripsit, adhuc Græcus extat, & in nonnullis Græcorum Biblijs statim post duos libros Maccabæorū apponitur, authoris sui nomine præposito, scilicet Ιωσηφης εἰς τῆς Μακκαβαῖς. cuius libelli Eusebius libro historiæ ecclesiasticæ tertio tale testimonium protulit: EST & aliud Iosephi elegans volumens inscriptus, εἰς αὐτοδέσποτ & εἰς τῶν πατρῶν δ' εὐσεβῆς λόγιον, quem libellum, quidam Maccabæorum attitularunt, pro eo quod certamina inibi, & agones pro pietate à Maccabæis desudata continentur. Patet ergo nihil certi affirmari posse de auctore præsentis historiæ, nisi eam à diuersis auctoribus scriptam, sicut phrasis diuersitas indicat, & eiusdem historiæ iterata repetitio, quæ vnum, ac eundem auctorem fecisse verisimile non est. Quorsum enim illa eadem, quæ in primo volumine abundè narrauerat, iterum in secundo volumine repetere voluisset? Crediderim ego (sicut iam in primo huius operis volumine indicaui) libros istos à tribus diuersis auctoribus scriptos primum quidem ab Hebræo auctore & Hebraica lingua, sicut sty-

A lus ostendit, & Hieronymus in Prologò galeato eum se Hebraicè scriptum legisse affirmat. Secundum verò, excepto primo eius capite, ac dimidio secundi capitis, sumpto initio à verbis illis, DE IYDA MACCABÆO ET FRATRIBVS EIVS: vnde præfatio secundi libri incipit, vsque in finem, arbitror à Græco auctore abbreviatum ex quinque libris Iasonis Cyrenæi, sicut ipsemet abbreviator in præfatione affirmat: tertiam verò partem huius historiæ, ab initio secundi libri vsque ad dimidium secundi capitis, in qua duæ illæ epistolæ Hierosolymitani senatus continentur, scriptam puto à publico scriba senatus, ad fratres Iudæos in Ægypto commorantes, sicut ipsæ epistolarum salutationes indicant.

8. TANDEM ad ea, quæ obijciunt de patribus, qui hos libros in canone non recipiunt, respondemus, plerosque ex ijs non de canone Christianorum, sed de canone Hebræorum locutos: sic enim ait Origenes in Psalmum primum: NON est ignorandum, viginti, & duos libros esse in canone veteris testamenti, sicut Hebræi tradunt: deinde post enumerationem librorum addit, ET in his concludunt canonem voluminum diuinorum, Maccabæorum verò libros extrinsecus habent. Ad id verò quod Hieronymus, & Gregorius innuere videntur, neutrum horum voluminum esse de canone Christianorum, iam supra me respondisse recordor, duplicem esse canonicorum voluminum ordinem, à quorum priore Hieronymus, & Gregorius meritò libros Maccabæorum excludunt, quia de his diu fuerit in Ecclesia dubitatum. Atque hinc est, quod Laodicenum Concilium, & multi ex patribus eos in catalogis factorum voluminum non annumerarunt, ne in re tam serua, de qua multi nondum plenè fuerunt edocti, quicquam temere definirent. Sed postquam diligenti facta discussione, hos libros diuinos esse agnouerunt, tunc eos in Canonem retulerunt, nobisque ita comprobatos reliquere, ut iam vltra non liceat de eorum certitudine dubitare.

DE TRANSLATIONIBVS
SACRÆ SCRIPTURÆ.
hæresis XIII.

REIECTIS omnibus sanctæ scripture editionibus, quibus hæctenus Ecclesia usa est, nouis editionibus, ut certioribus, ac fidelioribus utendum.

ASSERTORES HVIVS
HÆRESEOS.

NON est hæc noua hæresis, aut nuper inuenta ab hæreticis nostri temporis, qui temerè iactant Ecclesiam Christi ante hanc nostram ætatem nullam habuisse diuinorum librorum traductionem synceram ac fidelem, sed olim quoque ante mille & centum annos eadem hæc hæresis in Ecclesia viguit. cuius etiã Philastrius in catalogo satis diffusè mentionem fecit, enumerans circa eam quinque hæreti-

Eccl. 2, 4.

Exod. 23, 4.

Auctor libro
rum Macca-
bæorum non
tantò conside-
randus quam
Ecclesiæ de eis
iudicium.

Con. Pel. li. 2.

Iosephus libro
rum Macca-
bæorum au-
thor non est.

cap. 10.

Librorum
Maccabæorū
tres sūt aucto-
res.

Pag. 70. d

Lib. 6 hist.
eccl. cap. 18.

corum ordines, qui abiecta interpretatione sanctorum duorum & septuaginta interpretum, quatum Catholica Ecclesia utebatur, diuersorum hæreticorum versiones sequebantur. quorum primi translationem solummodò Aquilæ Pontici recipiebant: secundi editionem aliam quorundam triginta virorum, qui Aquilam in multis fuerant imitati: tertij alteram translationem quorundam sex hominum, prauis dogmatibus plenam quarti interpretationem Symmachi, & Theodotionis Ebionitarum, quinti verò elegerunt versionem quandam, non de authenticis Hebræorum exemplaribus sumptam, sed de Hebræis quibusdam codicibus, quos post Babylonicam captiuitatem intra dolium inuentos fuisse dicebant. quibus tanquam in sexto ordine subnecti possunt insolentes quidam nostrorum temporum hæretici, videlicet, Sacramentarij, Anabaptistæ, Seruetani, & Lutherani, qui repudiata sacrorum voluminum interpretatione, quam tot sæculis Ecclesia Catholica venerata est, suspectas diuersorum hæreticorum editiones sequuntur: veluti in veteri testamento Córadi Pellicani, Ioannis Oecolampadij, Vldrici Zuinglij, Martini Lutheri, Sebastiani Munsteri, ac Sebastiani Castalionis. in Nouo similiter instrumento translationes, seu magis recognitiones, vel castigationes, quasdam eorundem Oecolampadij, Zuinglij, Lutheri, Castalionis, & Michaëlis Serueti Ariani ac Manichæi. Has igitur editiones pro sua quisque libidine amplectentes adedò vulgatæ editioni nostræ præferunt, vt solos eorum interpretes prophetarum & apostolorum mentem ac verba intellexisse, ac veraciter, & fideliter expressisse gloriantur.

IMPUGNATIO.

SEd hoc nihil aliud est, quàm nouos quotidie tumultus in Ecclesia Dei excitare, nam si reiectis vetustis editionibus, recentiores quotidie translationes in Ecclesiam introducere contendimus, quis erit aut finis, aut modus interpretandi sacros libros, restituendi, recognoscendi, castigandi, obseruandique? dum quilibet quotidie pro sui animi sententia ac proprij dogmatis affectu nouas emittit versiones, castigationes, recognitiones, nunc ad Græcam, nunc ad Hebraicam veritatem interiectis vbiq; perniciosis scholijs, annotationibus, & glossematibus, ad propria dogmata pertinentibus, & dum interpretes summa inter se dissensione certantes, alter alterum reijcit, confutat, & damnat, ita vt Lutherus Oecolampadium, & Zuinglium tanquam incautos reprehendat, Lutherum vicissim Munsterus accuset. quòd multos antiqui interpretis errores dissimulauerit. Pellicanus Munsterum vituperet, quòd fœda sua barbarie omnem diuinam scripturam conspurcarit. Castalio verò omnes ante se interpretes tanquam Latini sermonis ignaros explodit, & se solum sacros libros Latina lingua interpretatum existimat. Quem igitur horum interpretum sequentur hæretici? aut cuius editionem in medium proferent, si cõtra suos aduersarios ex sacris codi-

bus aut propria dogmata confirmare, aut diuersa propulsare cogantur? Profectò si Anabaptistæ ex editione sui Serueti testimonia Scripturarum induxerint illico Sacramentarijs reclamabunt, & ea deducta esse dicent ex praua Anabaptistarum versione, nec ita legi in emendatis, ac veris Oecolampadij, & Zuinglij, codicibus. atque identidem Anabaptistæ Sacramentarij respondebunt, cum se ab illis Scripturarum testimonijs vrgeri senserint. Quòd, si quis illis superueniens dixerit, neutri editioni standum, sed ad Græcos, vel Hebræos fontes recurrendum, vt eorum lectione, proposita controuersia finiatur, statim longe acrior nascetur contentio, dum vterque in suo errore pertinax, aliter, atque Græcam, vel Hebræam vocem vertendam esse contendet, præcipuè verò si vox ambigua fuerit, vt innumere penè apud Hebræos sunt, atque hoc pacto altercantes nunquam inter se conuenire poterunt, nisi abiecta contentione, & proprio iudicio abnegato, sese vnanimi consensu iudicio Catholicæ Ecclesiæ submiserint: vt ipsa tanquam verus arbiter ac index pronunciet, cuius interpretis sententiæ acquiescendum sit. Sunt enim in sacris Hebræorum codicibus voces, ac sententiæ quædam adedò incertæ, ambiguae, atque adedò variè etiam à summis, & clarissimis interpretibus explicatæ, vt quantumuis eruditus sis, & linguarum peritus, nescias tamè, qua parte desectas, ac dubius semper esse cogaris, nisi te auctoritas Ecclesiæ Catholicæ commoneat, vt huius interpretationem amplectaris, illius verò dimittas.

Et quòd res adhibito exèplo illustrior fiat, locus est Genesios trigesimo sexto capitulo, interpretum omnium contentione celebris, videlicet: *Is t e est Ana, qui inuenit* *מרימא* *haie-* *mim in deserto, cum pasceret asinos Zebeon patris sui.* de cuius interpretatione (vt refert Hieronymus in libro *Quæstionum Hebraicarum*) tot sunt sententiæ, quòd interpretes. Quidam putant *מרימא* *Jemim* maria appellata: quia iisdem literis scribuntur maria, quibus & præfens huius sententiæ particula: voluntque ipsum Anam, dū pasceret asinos patris sui in deserto, aquarum congregationes reperisse, quæ iuxta idioma linguæ Hebraicæ *מרימא* *Jemim* hoc est, maria, nūcupantur quòd scilicet stagnum inuenerit, cuius rei inuentio difficilis est in deserto, & Diodorus in ea solitudine inueniri negat. Nonnulli inter quos vulgatæ editionis auctor, *Aguas calidas*, iuxta punicæ linguæ viciniam, quæ Hebræis contermina est, hoc vocabulo significari, atque ita vertendum esse volunt. Alij sunt, qui arbitrantur *Onagros* ab hoc Ana admissos esse ad asinas: & istum, istiusmodi reperisse concubitum, vt velocissimi ex his asini nascerentur & pro dictione *iamin* velocissimos asinos verti debere. Plerique putant, quòd equarum greges ab asinis in deserto ipse fecerit primus ascendi, vt mulorum inde noua contra naturam animalia nascerentur. & iuxta hunc intellectum mulos interpretandum existimant. Aquila verò hunc locum ita transtulit: *Is t e est Ana, qui inuenit* *מרימא* *והא* *והא*, & Symmachus, *τὸς σιμὲρ*, quæ inter

Hæretici qui olim editione vulgatam reiecerunt.

Nouihæretici qui hoc facturarunt.

Librorum sacrorum verendorum nullus erit finis, si editioni vulgatæ non stetur.

Editiones non habent ullam auctoritatem contra aduersarios.

Græca vel Hebraica exemplaria ad dirimendas controuersias parum iuuant.

Gen. 36, 24.

Diuersitas interpretum loci genesios.

terpretatio pluralem numerum significat. Septuaginta verò, & Theodotion: immutatis tantum Hebraicis characteribus in Græcas literas, τὸν ἑμὲν, quod indicat singularem numerum, transfulerunt. De qua voce non minus inter recentiores istos interpretes dubitatum est. Alij, inter quos Pellicanus, iuxta Septuaginta, *Iamim* relinquendum putant, tanquam vocem nondum intellectam: Munsterus, & Castalionus, multos vertunt: Sanctes aquarum congregationes, Galatinus onagros, alij secundum Symmachum, *Symin*. Quidam vero *Equas calidas*, hoc est coitus ardore calentes, olim in emendatis codicibus scriptum fuisse dicunt, deinde vitio scriptorum *equas*, mutatas in *aquas*. Cùm igitur hoc in loco, atque eiusmodi similibus tanta sit translatorum varietas, quomodo se explicabit animus nutans, nisi super hoc Ecclesiæ iudicium consulat? aut quomodo contentiones, & altercationes sedabuntur, si vnusquisq; sectæ ac factionis suæ interpretem tueri pergat, & iuxtam suam quisque editionem legere contendat, nisi Ecclesiæ definito superuenerit, quæ sua auctoritate istiusmodi rixas dissoluat?

NE QVE dixerit aliquis, hæc adeò leuia esse, ac minuta, vt ex his, quomodocunque interpretentur ac legantur, seditionis periculum aut salutis periclitatio oriri non possit: nam & nomen illud קיקאיון *Kikaion*, quod pro cucurbita apud Ionam à veteri interprete versum fuit, parui momenti erat: & tamen (vt Augustinus in epistola ad Hieronymum scribit) tam parua res ingentem tumultum in Africa excitauit. Cùm enim Episcopus quidam in Ecclesia, cui præerat, verba ad populum faciens, pro *cucurbita hederam*. iuxta nouam Hieronymi translationem legisset, tantus repente tumultus in plebe exortus est, maxime Græcis arguentibus & calumniam falsitatis inclamantibus, vt coactus sit episcopus. Iudæorum primùm suppetias implorare, vt pro se testimonium de codicibus eorum proferreret: deinde variè respondentibus illis coactus sit errorem suum coram populo recantare. Sed quid leuius, aut minutius punctis? & tamen tam minimæ res, aliter, quàm in editionibus ac exemplaribus ab Ecclesia Catholica receptis collocentur, magna sæpenumero hæresibus fomenta præbent. quod & Augustinus libro tertio de doctrina Christiana exemplo monstrauit in verbis illis Ioannis, *IN principio erat verbum*. Quam sententiam hæretici, qui negabant verbum Dei esse Deum, immutatis punctis legabant: *IN principio erat verbum. & verbum erat apud Deum.* & Deus erat, & hic interposito puncto, sequebantur, *VERBUM hoc erat in principio apud Deum*. Consimili exemplo temporibus nostris impius Seruet⁹ in libro secundo trium librorum quos blasphemio titulo De errore Trinitatis inscripsit, sententiam illam diui Pauli ad Romanos peruertit, videlicet: *QVORVM patres, ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula, Amen.* Quam cum is, qui Christum esse Deum negabat, adeo manifestè sibi reclamantem videret, transposito puncto, ita voluit

esse legendum: *QVORVM patres, ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia.* Deinde adfixo puncto, addendum: *DEVS benedictus in secula. Amen.* veluti epiphonema quoddam eucharistico, quo frequenter Hebræi orationis finem ad gratiarum actionem, & Dei laudem claudere solent: sicut in fine psalmi octogesimali octauo hac de causa ponitur: *BENEDICTVS Deus in secula, Amen. Amen.* Psal. 88. 52. Itaque vt auferantur de medio omnes altercationes, dubitationes & hæreses, quæ ex diuersitate multarum editionum oriri possent, aliquam oportet esse interpretationem communi totius fidelium consensu, & Ecclesiæ determinatione probatam, cuius auctoritate omnes eiusmodi controuersie tollantur.

PROINDE hoc animaduertens sacrosancta Tridentina Synodus, rectè in sessione quarta, decreto secundo, sancit, vt ex omnibus Latinis editionibus, quæ circumferuntur, sola vetus, & vulgata editio, quæ longè tot seculorum vsu probata est, pro autentica habeatur, & in diuinis officijs, & in sacris mysterijs, & in concionibus, ac publicis lectionibus, ac disputationibus, sola legatur, & citetur, nullusque eam quouis pretextu reuocare audeat. & meritò quidem, cùm præter id quod ea iam tanta annorum numerositate ab Ecclesia recepta est, nulla etiam sit inter has recentiorum interpretum editiones, quæ hac nostra vulgata editione certior, tutior, ac fidelior sit. Vt enim de cæteris ætatis nostræ translationibus taceam. Pellicani videlicet, Zuinglij, Oecolampadij, Lutheri, atque aliorum hæreticorum, quas ipsimet hæretici recognitiones, potius quàm nouas translationes esse fatentur, duas tantùm nominabo editiones duorum Sebastianorum, Munsteri scilicet, & Castalionis, quas Sacramentarij, & Anabaptistæ præ omnibus in pretio habent. cum tamen perniciosæ sint, & ceu letale venenum pio lectori fugiendæ, eo quòd vbique plenæ sint nefarijs annotationibus, scholijs, obseruationibus, glossæmatis, præfatiunculis, argumentis, atque his similibus decipulis, ac laqueis ad exitium lectoris instructis. de quibus quia omnia referre nimis longum esset, satis sit duo tantùm loca indicasse: quorum alterum Malachiæ primo annotauit Munsterus aduersus verã, & corpoream Christi præsentiam in Sacramento altaris, alterum verò Castalionus annotauit Exodi tertio contra Patris & filij consubstantialitatem, & æqualitatem, secutus in eo iam toties damnatam Arii sententiam.

Quòd si ad hæc hæretici respondeant, se non de eorum scholijs & annotationibus loqui, sed de interpretationis genere, ac de optima ipsorum vertendi ratione: & hanc ob causam velint suorum interpretum editiones præferri nostræ editioni, tanquam cultiores, ac magis disertas, & ad Latinam loquendi consuetudinem diligentiori industria accommodatas, non multùm repugnabimus. scimus enim fidi interpretis munus esse, non affectare sermonis elegantiam, vt disertus videatur, sed in primis sententiæ certitudinem ac veritatem. Atque in hoc vulgatam nostram editionem, fide, integritate, auctoritate cæteris antefendam

editio vulgata in concilio Tridentino probata.

editiones hæreticorum quam perniciosæ.

Nostra editio aliorum editionibus simpliciter præferatur.

Ex varijs editionibus tum multus oriri.

Ionæ 4. 6.

Interpunctio quam sit perniciofa si male fiat. Ioan. 1. 1.

Serueti error granis qui impius impius Eras mum seculus est vide Bel lar lib. 1. de Christo cap. 6. Rom. 9. 5.

rendam affirmamus, nihil in praesentia discutientes de stylo, ac verborum delectu, & orationis candore: quae omnia, quia à praesentis operis instituto aliena sunt, linguarum professoribus dijudicanda relinquimus.

Tacere tamen omnino non possumus quod permulti doctissimi viri, etiam quo ad genus interpretandi attinet, in duobus istis auctoribus vehementer damnant, nempe, quod uterque sine modo extremus sit, alter in affectandis Iudaicis idiotismis durus, agrestis, barbarus ac planè Iudæus sit, alter è contra in affectandis ineptè singulis gentilium locutionibus, gentilem se veriùs, ac prophanum, quàm Latinum ostendat; ita ut ex eorum translationibus, altera Iudæorum, altera Paganorum meritò dici possit. Munsterus enim ubiq; horridus, senticosus, & asper, vsque ad eò Hebraici sermonis horrorem secutus est, ut cum multa Latinis auribus molliter accommodare potuisset, omnes tamen Hebraici sermonis proprietates, ac phrasas ad eò seruire studuit, ut nec ipsos Hebraicorù nominum stridores pretermittere voluerit: ingerens Latinis auribus ubique, pro Ozia V zihau, pro Ezechia Iehizkiahu, pro Ezechiele Iehzechel, pro Cyro Choresch, pro Dario Dariauesch, pro Nabuchodonosore Nabuchednazar, pro Baltasare Beltezzer, & multas alias eiusmodi voces, quas non sine ingenti spiritus, ac linguæ nisu nemo Latinus pronunciare queat. Castalio nus verò, quem nescio an paraphrastè potius, quàm interpretem appellem, ita è contra est delicatus, ac mollis, ut nihil, quod Hebraismù redoleat olfacere patiatur. nec verè se Latine loqui putet, nisi quàm effœminatissime loquatur, & citra omnem diuinæ Scripturæ maiestatem, ac diuini interpretis grauitatem, singulas quasque sententiâs, meretricularum more fucò pingat, & calamistris inurat, lasciuia quadam mollium verborum affluentia luxurians, quemadmodum in Salomonis Canticis fecit, in quibus quæcunque vetus interpres de diuinis Christi, & Ecclesiæ amoribus castè & grauitè vertit, iste omni verborum lenocinio, atque omnibus muliercularum vocibus, & affectibus vsus, ad eò impudicè (ne dicam obscenè) transtulit, ac si meretricù, ac lenonum colloquia editurus fuisset, tertio penè verbo diminutas quasdam, lubricas, ac molliter tinnulas voculas inculcans: veluti illæ sunt: **H V C** ades ò mea sororcula, mea amicucla, mea columba, meum corculum, in petra, fuculis, in coctea latibulis. & illud: **Q V A M** bella es ò delicatula, ostende mihi tuum vulticulum, fac ut audiam tuam voculam. nam & voculam habes venustulam, & vulticulum habes lepidulum. & illud: **C A P I T E** nobis vulpeculas paruulas, vinearum vastarriculas. & rursum; **A H T E** bellâ! ah te formosam! Cerviculam habes eburnea turricule persimilem. capitulum habes Carmelo persimile, & cincinnulos regia purpura similes, & columbinos habes ocellulos, cincinnulis interiectos. similes mali punici putaminibus habes, genulas, cincinnulis intersitas, & māmulas, hinnulo formosiores: & illud: **A P E R I** mihi mea sororcula. introducam te in mea matercula, in mea genitricula domum. Nec mirum si Castalio tam impudicè in

Munsteri interpretatio quibus vitis laboret.

Castalionis editio qualis.

Castalio quæ rursus interpretatus.

Can. 2, 4.

Can. 7, 2.

Can. 5, 2.

re diuina, veluti cum Catullo de Lesbiam pascerculo, & turgidulis puellæ ocellis, & aureo malo luserit: quia ut ipsemet in glossulis ad marginem adiectis indicauit, nunquam credit, in illo diuino Cantico mystico Christi, & Ecclesiæ amores describi, sed venereis, ac prophanis Salomonis, eiusque amicæ Sulamitis, atque eiusdem fœminarum amoribus amatorium colloquium texi. Et sicut hunc Salomonis librum inhonestis lenocinijs contaminauit, ita in omnem diuinam Scripturam prophanis, gentilibus, ac impijs vocibus, locutionibus, ac sententijs prophanauit, semipaganus, ac semigentilis iste interpres. qui quasi puderet eum uti vocibus, quibus Spiritus sanctus per ora sanctorum vsus est, nomen Dei, ac Patris domini nostri Iesu Christi mutauit in *Ioanem Diuum, Armipotetem, Gradiuum, ac Cœlicolam,* diuinam eius caritatem appellans *Cupidinem,* & eius Angelos, *Iouis genios,* & Dei templum *Iouis adem, saniumq;.* & sedem Dei, *Augustale Iouis,* ponens ubique, pro sanctis viris *Heroas,* pro sancto Israële *Augustinum Israelitanum,* pro sanctis prophetis *uates atque fatidicos,* pro spiritu prophético, *spiritum fatidicum,* & pro prophetare *bacchari,* pro gygantibus item *Titanam sobolem,* pro Sole, *Phœbum & Apollinem,* pro fulguribus *Iouianum ignem,* pro inferno, *Orcum ac Tartarum,* pro habitatoribus inferni *Manes,* & pro perditione inferni *Plutonem,* pro sanctificatione, *lustrationem,* & pro sacro cātu, *Pœana,* ac innumera alia his similia, de media gentilium impietate deducta, quæ nullus verè pius æquis auribus audiat. Omitto breuitati consulens, violentas, & ambiguas locutiones materiam hæresibus præparantes, veluti cum pro eo, quod in euangelio Ioannis legit ecclesia: *Et verbum caro factum est,* nescio an Latine potius, quàm Sarmaricè verterit: **ET SERMO CORPORA-** Ioan. 1, 14. **T V S E S T.** quasi D. Hieronymus aberrasset, cum illud καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο. vertit: *Et verbum caro factum est,* & illud, quod Petrus in Acti. de Christo dixit ὁ προσώψαντες ἀκλήτε, hoc est, **Q V E M** affigentes interemistis: semigentilis hic interpres, Romanæ linguæ columen, transtulit: **Q V E M** VOS AD PALVM DELIGATVM SVSTILISTIS: Quæ verba Act. 2, 23. proximis annis inter Iudæos quosdam ab Anabaptistis Florentinæ ciuitatis ad fidem receptis, non absque ingenti Anabaptistarum periculo, magnum rumorem in conuenticulis eorum excitarunt, addubitantibus Iudæis illis, an Christus iuxta vetustum Romanorum, & Hebræorum morem fuisset cruci suffixus, aut potius palo infixus iuxta presentem Turcarum consuetudinem, quemadmodum Castalionis editio significare videbatur. Atque huiusmodi egregios fructus pariunt Ciceronianæ hæ recentium interpretum editiones, tantis laudibus ab hæreticis celebratæ. Sed nimius in hac re fortasse fuerim, quàm lector desiderasset. Beza egregiè est Castalionis petulantiam imitatus ac propterea meritò à doctissimo Genebrardo grauissimo Theologo in Admonitione ad Ministros Geneuenses accusatur, ex qua, castimoniam Calvinianam flosculos descripsi.

Castalio im- Pius quid de Cantico Cantico sentiat.

Totam scripturam quibus vocibus contaminari.

Ioan. 1, 14.

Act. 2, 23.

Tumultus ob Castalionis editionem excitatus.

Ecce

Ecce tu bellissima
His columbae praedita
Bellulis ocellulis.

Ecce tu bellissima
His columbae praedita
Patulis ocellulis
Hinc & inde pendulis
Crispulis cincinnulis
Talis est tibi coma
Mollicella crispula.
Tale quiddam crispulae
Inter emicat coma
Tortiles cincinnulos.

-Callida

Altero me patulo
Contuens ocellulo.
Alterum ceruicula & c.

Alia sunt id genus multa quae legere, qui ex animo est Christianus, sine dolore non poterit, sed Beza antiquum obinet.

Cæterum quoniam hæretici iactant Ecclesiam Dei ante has novas interpretationes nullam habuisse fidelem, ac sinceram diuinæ Scripturæ translationem, vt hanc eorum iactantiam comprimamus, operæpretium est, vt paulo altius ordientes, videamus breuiter, primum quot, & quales translationes tam Græca, quam Latina Ecclesia habuerint: deinde verò cuius auctoritatis vnaquæque earum in Ecclesia Catholica fuerit.

PRIMA igitur Græca editio veteris testamenti, qua primum vsa est Ecclesia, fuit duorum & septuaginta interpretum versio. Secunda, Aquilæ Pontifici, annis penè CXX. post Christum edita. Tertia, Symmachi Samaritani, anno CXC. humanæ Salutis condita. Quarta, Theodotionis Ephesij, anno CC. à Christi ortu elaborata, de quibus quatuor Græcis translationibus, cum in quarto huius Operis libro, sub proprijs eorundem auctorum titulis copiose dixerimus, superfluum arbitramur eadem rursus hoc loco repetere. Quinta Græca editio vnà cum plerisque alijs Hebraicis, & Græcis voluminibus, in Hiericho in dolijs inuenta est ab Origene Adamantio, qui etiam non multo post, aliam quandam translationem repetit in littore Actiaco, in Nicopoli, eodem modo in dolijs occultatâ, eamque sextam editionem appellauit. & adiunctis ijs ad cæteras quatuor translationes, Hexapla, & Octapla Græcarum editionum, miro artificio construxit eo ordine, quem in libro iam citato commemoravi, dum Origenica scripta recenserem. Septima, post omnes istas editio quædam Græca inuenta est, & ea nec in Hexaplis, nec in octaplis vnquam posita. hanc Isidorus libro sexto Etymologiarum putat ab ipsomet Origene inuentam, quæ Βοινη, à Græcis, hoc est, communis & vulgata dicta est, ab aliquibus verò λσκιανός, vel λσκινηά. vocata est: eò quòd à Luciano Martyre edita crederetur. de qua in epistola ad Suniam, & Fretelam ita Hieronymus scribit: BREUITER, illud admoneo, vt sciatis aliam esse editionem, quam Origenes, & Casariensis Eusebius Βοινην, id est communem appellant, & à plerisque nunc λσκιανός, dicitur, aliam Septuaginta interpretum, quae reperitur in Hexaplis

A codicibus, & à nobis in Latinum sermonem versa est, & Hierosolyma, atque in Orientis ecclesijs decantatur. *βοινη* autem ista, pro locis, & temporibus pro voluntate scriptorum veterum corrupta editio est, ea autem, quae habetur in Hexaplis, & quae nos vertimus, ipsa est, quae in eruditorum libris incorrupta, & immaculata Septuaginta interpretum translatio reseruatur. Hæc igitur de omnibus famosis Græcorum editionibus ex Aristeæ, Iosepho, Eusebio, Iustino, Irenæo, Epiphano, & Hieronymo desumpsimus.

POST quas duæ aliæ Latinæ editiones veteris testamenti in ecclesia Latina fuerunt, noua scilicet, ac vetus: vetus quidem, vulgatæ & communis editionis nomē accepit, tū quia nullum certum haberet autorem, tū quia non de Hebræo fonte, sed de *βοινη* vel de Septuaginta interpretatione sumpta esset, quemadmodum Augustinus decimo octauo de ciuit. Dei, & Hieronymus in præfatione euangeliorum testantur, cuius lectione vsa est ecclesia longè ante tempora Hieronymi, & etiam multò post, vsq; ad tempora Gregorij Papæ. Noua verò, à Hieronymo non de Græco, sed de Hebraica veritate in Latinum eloquiū versa est: quae ecclesia vsque ab ipsis Gregorij temporibus, vnà cum veteri editione vsa est. vtriusque enim Gregorius in præfatione Moralium meminit, inquiens:

NOVAM translationem differo, sed cum probationis causa me exigit, nunc veterem, nunc nouam pro testimonio assumo: vt quia sedes apostolica, cui auctore Deo presideo, vtraque utitur, mei quoque labor studij ex vtraque fulciatur. Atque hæc de veteris testamenti translationibus tam Græcis quam Latinis dicta sint.

DE Translationibus autem noui testamenti, quod Græcè, sed interdum Hebraicis phrasibus scriptum fuisse, constat, certum earum numerum scire non possumus. illas tamen fuisse multas, indicat Hieronymus in Præfatione quatuor euangeliorum: inter alias verò innuit fuisse editionem quandam veterem iam dudum ante ipsum in Ecclesia vulgatam, quae cum à dormitantibus librarijs progressu temporum corrupta esset, Hieronymus eam iussu Damasi Papæ, facta multorum Græcorum exemplarium collatione, correxit, emendauitque, & ad Græcam veritatem restituit, qua Hieronymi castigatione, vel potius editione, Ecclesia Romana à temporibus D. Hieronymi vsque in hanc diem perpetuo vsa est. tot igitur vsque ad hanc ætatem fuerunt in Ecclesia tam veteris, quam noui testamenti editiones.

DE quarum numero Ecclesiae Latinæ, & Græcae, omnibus alijs editionibus omissis, quinque solummodò in auctoritatem hucusque receperunt, nepe in nouo testamento duas, veterem scilicet ac nouam, & in veteri testamento tres, videlicet, vnã tantum Græcam Septuaginta interpretum, & duas Latinas, hoc est Veterem, ac Nouam. De Septuaginta editione tantummodo ab Ecclesia recepta, testis est Euseb. lib. 6. Eccle. hist. & August. de ciuit. Dei lib. 18. hunc in modum eadem de re scribit: NAM cum fuerint, inquit, & alij interpretes, qui ex Hebraea lingua in Græcam sacra illa eloquia transtulerunt, sicut Aquila, Symmachus, Theodotion, sicut etiam est illa interpretatio, cuius auctor non apparet, & ob hoc sine nomine interpretis. Quinta editio

E

Editiones veteris testamenti apud Latinos duæ.

Cap. 43.

Translationes noui Testamenti innumeræ.

Ecclesia, quot & quas editiones approbat.

Cap. 1.

Cap. 43.

editio 70.
interpretum
& alia.

De Septuaginta interpretibus videndi sunt Iren. lib. 3. aduersus her. cap. 25. Iustinus martyr in orat. pater. ad Gent. Clem. Alex. lib. 1. Strom. Cyrill. Ierosol. cath. 4. Epiphanius de pòd. & mensur. Ruffinus aduersus Hieron. & D. August. li. 18. de ciuit. Dei cap. 43. Septima editio qualis.

nuncupatur, hanc tamen, quae Septuaginta est, tanquam sola esset, sic recipit Ecclesia eaq; utuntur Graeci populi Christiani, quorum plerique utrum alia sit, ignorant. Hec Augustinus. De Latinis vero translationibus, duas tantum ab Ecclesia receptas constat, primò vulgatam illam editionem, non ex Hebraea origine, sed ex translatione Septuaginta Latine editam. qua sola Ecclesiam Latinam usam fuisse usque ad tempora Augustini, & Hieronymi, ipsemet Augustinus loco iam dicto testatur. & Gregorius usque ad sua tempora, ut iam diximus, in Ecclesia Romana fuisse usitata, in praefatione moralium scribit.

Is. lib. 6. eth. Cap. 5.

Postquam veterem, ac vulgatam editionem, Ecclesia habere coepit, ut supra dictum est, novam Hieronymi translationem, ex Hebraica veritate desumptam, & novam quoque eiusdem castigationem in novum testamentum recepit, sicut ex tertia epistola Augustini ad Hieronymum apparet. Atque his tantum editionibus usque in praesentem diem pro authenticis, veris, ac summa fide dignis Ecclesia Catholica publicè usa est in divinis mysterijs, ac sacris concionibus, & lectionibus, in confirmandis dogmatibus nostrae fidei, & haereticis redarguendis. cæteris vero non publicè, vel tanquam authenticis usi sunt Patres, sed tanquam extraneis ad particulares eorum usus. nimirum ut ex earum collatione Septuaginta interpretationem clarius intelligerent, & ut ex comparatione Septuaginta ad alias editiones, falsitatem earum redarguerent. Huius autem rei gratia, ut Philastrius, & Epiphanius tradunt, eiusmodi editiones in Hexaplis nunquam in media columna ponebantur, sed dextra, laeva que assignabantur, ut hinc atque hinc positæ, tanquam contrariæ, & non plenae veritatis à vera Septuaginta Interpretum editione, quæ media locabatur, ostenderentur. Prætermittis ergo omnibus istis translationibus quas Ecclesia vel tanquam haereticas abiecit, vel tanquam suspectas & corruptas non accipit, videamus solummodo quantum auctoritatis, ac fidei habuerint in Ecclesia prædictæ quinque translationes, & quid de vnaquaque earum senserint Catholici Patres, at ex eorum iudicij gravitate, deiciamus arrogantiam eorum, qui iactant nullam hucusque integram, certamque divinæ Scripturæ translationem in Ecclesia fuisse.

Qualis usus fuerit ceterarum interpretationum.

Hier. in praef. Esaiæ.

Septuaginta interpretum editio quanta fuerit auctoritatis.

Cap. 24.

DE integritate igitur ac fide editionis Septuaginta tot ac tanta sunt Patrum testimonia ut deficiat me tempus, si ea voluerim percensere. Omnes tamen in hoc conveniunt, eam tribus potissimum de causis ceteris esse præferendam. Primum, quòd omnium editionum antiquissima sit. deinde quòd divino lumine, & non humano ingenio à Septuaginta duobus viris spiritu sancto plenis edita sit, siquidem, ut scribit Iustinus martyr, in Admonitorio ad Gentes, & Irenæus libro tertio: Ptolemæus res veritus ne Septuaginta interpretes non plenè, ac ingenuè interpretarentur veritatem divinis voluminibus inserta, sed aliqua de industria occultaret, singulos à se invicem separavit, & eadè seorsum positos interpretari iussit. divina autè voluntate factum est, ut omnes ijs-

dem verbis iisdem nominibus, atque sententijs ab initio usque ad finem scripserint, ita ut rex, ac ipsi gentiles manifestè agnoscerent, non humano, sed divino nutu, atque consilio divinas illas scripturas fuisse interpretatas. Epiphanius vero in libello de ponderibus, & mensuris, fusiùs describens cellularum numerum, situm, ac formam viginti duo volumina veteris testamèti ab eis traducta recitat, idque in diversis seorsum cellulis, quarum se vestigia in Pharo insula vidisse martyr Iustinus in admonitorio scriptum reliquit. cuius sententiæ Philastrius in catalogo, Ruffinus aduersus Hieronymum, & Augustinus consentiunt.

Tertia causa cur hæc editio anteponatur alijs est, quia Apostoli, & Euangelistæ ex ea tanquam de vera ac fida interpretatione testimonia acceperunt. & post eos omnis Ecclesia usque ad Damasum Papam eam in summa veneratione semper habuit, sicut frequentissima vetustissimorum patrum testimonia testantur. Origenes in epistola ad Iulium Africanum, huic vni tantum tribuit, ut dixerit, hoc solum pro vero habendum esse in sacris Scripturis, quod Septuaginta interpretes transtulissent. & Augustinus libro decimo octavo de civitate Dei, **ECCLESIA Christi**, inquit, *tot hominum auctoritati ab Eleazaro tunc pontifice ad hoc tantum opus electorum, neminem indicat præferendum: quia (et si non in eis unus apparuisset spiritus sine dubitatione divinus, sed inter se verba interpretationis suae Septuaginta, docti more hominum contulissent, ut quod placuisset omnibus hoc maneret) nullus eis vetus interpres debuit anteponi*, Hieronymus quoque multis in locis, ac præsertim in præfatione Paralipomenon asserit Septuaginta interpretes, viros spiritu sancto plenos fuisse, & spiritu sancti auctoritate scripsisse. Mitto & alia innumera Patrum testimonia, ne legentibus fastidium ingeram.

DE editione vero Latina veteris testamèti, quæ vetus, & vulgata olim dicebatur, Augustinus libro iam citato, testatur eam apud Ecclesias Latinas in tanta auctoritate, ac reverentia fuisse, ut omnibus alijs editionibus præferretur. & Gregorius in præfatione Moralium, ut supra meminimus, etiam temporibus suis eam in Ecclesia Romana in summa veneratione fuisse testatus est, hæc verba in vigesimo libro moralium scribens: **S E D tamen, quia hæc nova translatio ex Hebræo nobis eloquio cuncta verius transfudisse perhibetur, credendum est quicquid in ea dicitur: & oportet ut vera illius nostra expositio subtilius rimetur.**

DE editione vero Latina veteris testamèti à Hieronymo facta, quàm fida, certa, vera, dilucida, & exacta fuerit, ipsemet Hieronymus indicat. cui cum rationem sententiæ suæ, velut pignus afferat, par est ut credamus. sic enim de seipso in præfatione Psalterij ad Sophronium loquitur: **C E R T E confidenter dicam, & multos huius operis testes citabo, me nihil duntaxat sententiæ de Hebraica veritate mutasse. sicubi ergo editio mea à veteribus discrepabit, interroga quemlibet Hebræorum, & liquido prauidebis me ab amulis frustra lacerari, qui malunt contemnere videri præclara quàm discere.** & in Prologo galeato similiter

Li. 18. de Cl. Dei. cap. 43.

Euseb. lib. 6. hist. cap. 33.

Cap. 43.

Cap. 43.

Editio latina & vetus quanta fuerit auctoritatis.

Cap. 83.

Editio D. Hieronymi quanta vera sit.

liter ait: *M I N I* omnino conscius non sum, mutasse me quidpiam de Hebraica veritate, certe si incredulus es, lege Græcos codices, & Latinos, & confer cum his opusculis, quæ nuper emēdauimus, & ubicunq; discrepare inter se videris, interroga quēlibet Hebræorum, cui magis accommodare debeas fidem, & si nostra firmauerit, puto quod eum non existimes coniectorem, vt in eodem loco mecū pariter diuinari. Quod si diuo Hieronymo tāquam de seipso testimonium perhibenti credere nolint hæretici, audiant Augustinū, qui in 18. de ciuit. Dei de versione Hieronymi sic ait: *Non desuit temporibus nostris presbyter Hieronymus homo doctissimus. & triū linguarum peritissimus, qui non ex Græco, sed ex Hebræo in Latinum diuinas Scripturas conuerterit, cuius tantum literarū laborem, Hebræi fatentur esse veracem.* Augustino Isidorus consentiens: *PRESBYTER*, inquit, *Hieronymus trium linguarū peritissimus ex Hebræo in Latinū eloquium diuinas Scripturas conuertit eloquenter, quæ transfudit: cuius interpretatio merito cæteris antepositur, nam est verborum tenacior, & perspicuitate sententiæ clarior, atque utpote Christiana interpretatio, verior.* Quorum patrum testimonijs, Græci quoque consensum præbuerunt, qui adhuc viuentē Hieronymo editionem eius ex Latino verterunt in Græcum, vt idem Hieronymus in prima sua Apologia contra Ruffinum scribit.

Q uo ad duas Latinas noui testamenti editiones, veterē quidem cōmunis Patrum assensio à primordio nascētis Ecclesiæ, vsq; ad Damasum Papā longo vsu approbavit. Nouā verò editionem, seu castigatiōrē, Hieronymi, etiam ipso viuentē maximo fauore ab Ecclesia fuisse receptā, indicat Augustinus in epistola tertia ad Hieronymū his verbis: *P R O I N D E*, non parnas Deo gratias agimus de opere tuo, quod euangelium de Græco in Latinum interpretatus es, quia penē in omnibus nulla offensus est, cum Scripturā Græcā contulerimus, unde si quisquam veteris falsitatis contentiosus fuerit, prolatis, collatisque codicibus, vel docetur facillimē, vel refellitur. & si quedam rarissima merito mouent, quis tam durus est, qui labori tam utili non facile ignoscat, cui vicem laudis referre nō sufficit? Ex his igitur concluditur, aut translationes istas tanta veneratione ab Ecclesia receptas, & ab omnibus Patribus celebratas fuisse veras ac fideles, aut si tales non fuerint, Ecclesiam Dei, quæ eas tales esse crediderit, quales reuera non erant, grauiter admodum per tot annorum centurias fuisse deceptam, ac turpiter delusam. quod nullus vnquam nec mente concipere poterit, nisi penitus ecclesiastico spiritu destitutus, & in totum Lutheranis, Sacramentarijs, Anabaptistis, Seruetanis, ac cæteris eiusmodi pestibus addictus Sed iam ad ipsorū contentiones transeamus.

OBIECTIONES HÆRETICORVM.

I. *P R O P O S I T V M* nostræ disceptationis est, ostendere Latinorum Græcorumque ecclesias ante emissas recentiorum interpretum editiones, nullam habuisse diuinarum scripturarum interpretationem, quæ non fuerit infinitis penē vitijs, & erroribus deformata. Exordientes igitur iuxta temporum seriem, ab illa prima

A totius veteris instrumenti versione, de nomine Septuaginta interpretum falso appellata omnia eius vitia detegemus, si prius aduersarios nostros admoneamus, editionem istā falso ascriptā Septuaginta interpretibus, & male creditum, quod ab eis Spiritus sancti afflatu condita fuerit. Siquidem Aristæas Ptolemæi satelles in libro De Septuaginta interpretibus, & Philo Iudæus in sua Chronographia, & Iosephus in præfatione Hebraicarū Antiquitatum, & in duodecimo eiusdem operis libro, & auctor libri Seder olam minoris, atque omnes Rabbini Hebræorum, qui de Septuaginta aliquam mentionē fecerūt, omnes hi referunt Septuaginta interpretes Ptolemæi hortatu tantum quinq; libros Mosis transtulisse, nulla de alijs diuinæ Scripturæ libris enumeratione facta. quibus etiā Hieronymus innumeris fermè locis adstipulatur, maximè vero in cōmentarijs Michææ, capite secūdo, quo loco sic ait: *I N T E R P R E T A T I O* Septuaginta, si tamen septuaginta est, Iosephus enim scribit, & Hebræi tradūt, quinque tantū libros, legis Mosis ab eis trāsatos, & Ptolemæo regi cōtraditos. Et in præfatione Hebraicarum quæstionū, idem sic scribit: *Accedit ad hoc quoq; quod Iosephus, qui Septuaginta interpretum proponit historiā, quinque tantū libros Mosis transtulos refert, quos nos quoque confitemur plusquam cæteros cum Hebraicis cōsonare.* Quæ omnia ostendunt editionem hanc, quæ in totum vetus testamentum habetur, non esse Septuaginta interpretum, sed alterius cuiuspiam incerti nominis, & auctoritatis trāsatoris: sed cuiuscunque ea sit, etiam si Septuaginta interpretum esset, testatur abunde Hieronymus translationem, quæ Septuaginta creditur, per spiritum editā non fuisse: & Septuaginta nō tantquam afflatos diuino spiritu scripsisse, sed tantquam homines, qui in multis errare potuerunt, & errarunt. sic autem de eis loquitur Hieronymus in præfatione Pentateuchi: *N E S C I O* quis primus auctor, Septuaginta cellulas Alexandria mendacio suo extruxerit, quibus diuisi eadem scripturarum: cum Aristæas eiusdem Ptolemæi ὕπαρχος ὀπίσθους, & multo post tempore Iosephus nihil tale retulerint, sed in basilica congregatos contulisse scribant, non prophetasse. aliud est enim vatem, aliud est esse interpretem. ibi spiritus ventura prædicat, hic eruditio, & verborum copia, ea, quæ intelligit transfert. nisi forte putandus est Tullius Oeconomicum Xenophontis & Platonis Protagoram, & Demosthenis pro Ctesiphonte afflatum rhetorico spiritu transtulisse.

2. *Q U O D* autem multis erroribus editio hæc referta sit, non solum ipsi Iudæi affirmant, vt Augustinus libro decimo octauo de ciuitate Dei annotauit, sed & multi illustres Christianorum confirmant, & ipsamet editio suos errores manifestissime prodit. Cū enim optimi interpretis munus sit nihil de auctoris sententia demere, nihil de suo supperaddere, nihil aut ad ambiguum aut contrarium sensum immutare, in his omnibus Septuaginta defecisse inueniuntur. Et primum quam multa de Hebraicis codicibus loca præterierint, Hieronymus ferè sacrorum librorū præfationibus indicat, præcipuè verò in præfatione Pentateuchi, in qua enumerans nonnulla ex his, quæ

Ii 4 Septua

Cap. 43.

Lib. 6. ethym.
Cap. 5.

De duabus
nouo testamen
ti latinis edi
tionibus.

Septuaginta
an tantum
quinque li
bros Mosis
verterunt.

Septuaginta
num fuerint
propheta.

Ca. 43.

Septuaginta omiserunt. **MULTA**, inquit, de veteri testamento legimus, quae in nostris, hoc est, in Septuaginta interpretum codicibus non habentur. ut illud, *Ex Aegypto vocavi filium meum.* & **QVONIAM Nazareus vocabitur.** & **VIDEBUNT** in quem transfixerunt. & **FLUMINA** de ventre eius fluent aqua vina. & **QVÆ** nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae preparavit Deus diligentibus se. & multa alia, quae primum *ὀβρυχμα* desiderant, quorum primum positum est in Osea, secundum in Esaiâ, tertium in Zacharia, quartum in Prouerbijs, quintum eque in Esaiâ, cuius erroris causas non est meum exponere. & paulo post accusans eos, quod de industria pratermiserint omnia, quae de sanctis mysterijs Trinitatis in sacris literis inuenissent, sic addit: **DENIQUE** ubicunque sacratum aliquid scriptura testatur de patre, & filio & spiritu sancto, aut aliter interpretati sunt, aut omnino tacuerunt.

3. **QVANTA** verò de suo superaddiderint, quae in Hebraeis codicibus non habentur, idem Hieronymus in libro Hebraicarum quaestionum, & in epistola ad Suniâ, & Fretellam, & in libro De optimo genere interpretandi ex infinitis penè locis pauca quaedam decerpens annotavit, veluti illud Genesis tertio, vbi in Hebraeo scriptum est: **SVPER** pectus tuum gradieris: addiderunt, **ET VENTREM**, quod Hebraeus codex non habet, & Genesi cap. 13.

pro eo, quod Hebraei legunt: **ET viri Sodomorum erant mali, & peccatores vehementer:** apposuerunt, **IN conspectu Dei**, quod tanquam superfluum additum Hieronymus damnat: quia Sodomitae non solum erant mali in conspectu Dei, sed etiam in conspectu hominum, & cum in principio psalmi vigesimi primi solum scriptum sit *אלי אלי לאמהאזבתחני* **ELI eli lamahazabathani**, quod interpretatur **Deus Deus meus**, ut quid me dereliquisti? ipsi interposuerunt duo alia verba scilicet, **RESPICE IN ME.** & pro eo quod legitur Deuteronomij vigesimoprimo: **MALEDICTVS** à Deo, qui pendet in ligno. ipsi: ut Hieronymus tertio ad Galatas capite annotat. addiderunt, **OMNIS**, à Deo, qui pedit in ligno Deuteronomij vigesimo septimo, vbi scriptum est.

MALEDICTVS, qui non permanserit in verbis, quae scripta sunt in libro legis, additis tribus particulis, verterunt: **MALEDICTVS** omnis homo, qui non permanserit in omnibus verbis, quae scripta sunt in lib. legis, & ne quis eiusmodi additiones existimet leuis esse momenti, sciat ex hisce additionibus quantumuis parvis, se penumero grauissimas exoriri haereses: veluti exemplo Manichæorum ostendit potest: qui ex hac vltima vniuersali particula **OMNIS**, quam Septuaginta ad Mosis testimonium addiderunt, dicentes, **MALEDICTVS** omnis, qui pendet in ligno, ceperunt ansam calumniandi, & reiiciendi Mosem, appellantes eum (ut Augustinus libro sextodecimo aduersus Faustum scribit) modò sacrilegum, modò blasphemum: eo quod Christum, Apostolos, ac martyres in ligno pendentes, omnes sub vna, eademque vniuersali maledictione concluderit.

4. **DE** his verò, quae Septuaginta contrario sensu transtulerunt, nonnulla etiam Hieronymus supra memoratis locis enumerat: quem-

admodum Genesis vigesimo sexto, pro eo, quod iuxta Hebraicam veritatem legitur: **VENERVNT** in ipsa die serui Isaac annunciantes de puteo, quem foderant, atque dicentes: inuenimus aquam: unde appellatum est nomen eius saturitas: Septuaginta penitus ex opposito verterunt, **ET venerunt** pueri Isaac, & nunciauerunt ei, de puteo, quem foderant, & dixerunt ei: non inuenimus aquam, unde appellatum est nomen eius iuramentum. quod falso translatum esse, Hieronymus ex ipsa nominis etymologia ostendit. **QVÆ** enim, inquit, etymologia est, propterea vocari iuramentum, quia aquam non inuenissent? & contrarium etiam in Hebraeo sit, & Aquila, & Symmachus traducētes cōsenserint, quod aquam inuenerint, & propterea appellatus sit puteus ipse saturitas, vel abundantia. Et in Psalmo decimo octavo pro eo, quod legitur in Hebraeo: **SOLI** posuit tabernaculum in eis: hoc est, quod Deus dederit Soli in caelo domiciliū, & thalamum, ex quo tanquam sponsus summo mane procederet, Septuaginta contrario sensu verterunt, non solē esse positū in tabernaculo, sed tabernaculum positū esse in sole, dicentes, *ἐν τῷ ἡλίῳ ἐθερ τὸ σκηνώμα αὐτῆς.* id est, **IN sole** posuit tabernaculum suum. quod occasionem peperit Manichæis, ut solem adorarent, eo quod ex his verbis existimassent, Christum postquam in caelum ascendit, sibi in sole domiciliū constituisse, atque exinde, in eo tanquam in proprio tabernaculo habitasse: sic enim de Manichæis scribit Augustinus libro vigesimo contra Faustum.

5. **MULTA** quoque sunt, quae ex ignorantia proprii sermonis perperam, & in alienum, ac diuersum sensum à Septuaginta traducta videntur. quorum aliqua exempla Hieronymus locis iam dictis adducit. quemadmodum Genesis trigesimo. vbi de pecoribus Iacob, & Laban in Hebraeo habetur: **FACTA** sunt ea, quae erant serotina Laban, & quae primi temporis Iacob, Septuaginta non intellectis Hebraicis vocibus, verterunt, *Ἐγένετο δὲ τὰ ἀσνηματῶν Δαβὴν, τὰ δὲ ἐπισηματῶν Ἰακώβ,* id est, **FACTA** sunt autem non insignia Laban, insignia verò Iacob: quod Hieronymus in libro Quaestionum Hebraicarum nihil dicit ad sensum pertinere. Item Genesis trigesimoprimo, pro eo, quod in Hebraeo est: **MVTAVIT** mercedem meam decem vicibus: Septuaginta inscitia propriae vocis decepit, verterunt *τὸν δέναν ἀρνῶν,* hoc est, decem agnis: unde Hieronymus eos in Quaestionibus Hebraicis redarguens: **NESCIO**, inquit, qua opinione Septuaginta ducti, verbum Hebraicum *δέναν* monim decem agnis posuerunt, cum numerum potius quam agnos significet. denique ex consequētibus magis numeri sensus probetur: sed & Aquila *δέναν ἀρνῶν* transtulit. Symmachus verò *δέναν ἀρνῶν* transtulit. vterque eorum cum Hieronymo de numero consentiens. Item Genesis 35. pro eo, quod legitur: **EGRESSVS** autem inde venit *חִיברתא*, hoc est, secundum Hieronymum verno tempore, vel (ut alij exponunt) quasi stadium: Septuaginta non tenentes vocis proprietatem verterunt, **IN hippodromo**, quod Hieronymus libro predicto admirans, **NESCIO**, inquit, quid volentes Septuaginta hippodromum transtulerunt, cum chibrata hippodromus esse non possit. Hec ex innumeris huius editionis erroribus pauca exempli gratia collecta sint.

6. **QVANTA**

admodum Genesis vigesimo sexto, pro eo, quod iuxta Hebraicam veritatem legitur: **VENERVNT** in ipsa die serui Isaac annunciantes de puteo, quem foderant, atque dicentes: inuenimus aquam: unde appellatum est nomen eius saturitas: Septuaginta penitus ex opposito verterunt, **ET venerunt** pueri Isaac, & nunciauerunt ei, de puteo, quem foderant, & dixerunt ei: non inuenimus aquam, unde appellatum est nomen eius iuramentum. quod falso translatum esse, Hieronymus ex ipsa nominis etymologia ostendit. **QVÆ** enim, inquit, etymologia est, propterea vocari iuramentum, quia aquam non inuenissent? & contrarium etiam in Hebraeo sit, & Aquila, & Symmachus traducētes cōsenserint, quod aquam inuenerint, & propterea appellatus sit puteus ipse saturitas, vel abundantia. Et in Psalmo decimo octavo pro eo, quod legitur in Hebraeo: **SOLI** posuit tabernaculum in eis: hoc est, quod Deus dederit Soli in caelo domiciliū, & thalamum, ex quo tanquam sponsus summo mane procederet, Septuaginta contrario sensu verterunt, non solē esse positū in tabernaculo, sed tabernaculum positū esse in sole, dicentes, *ἐν τῷ ἡλίῳ ἐθερ τὸ σκηνώμα αὐτῆς.* id est, **IN sole** posuit tabernaculum suum. quod occasionem peperit Manichæis, ut solem adorarent, eo quod ex his verbis existimassent, Christum postquam in caelum ascendit, sibi in sole domiciliū constituisse, atque exinde, in eo tanquam in proprio tabernaculo habitasse: sic enim de Manichæis scribit Augustinus libro vigesimo contra Faustum.

5. **MULTA** quoque sunt, quae ex ignorantia proprii sermonis perperam, & in alienum, ac diuersum sensum à Septuaginta traducta videntur. quorum aliqua exempla Hieronymus locis iam dictis adducit. quemadmodum Genesis trigesimo. vbi de pecoribus Iacob, & Laban in Hebraeo habetur: **FACTA** sunt ea, quae erant serotina Laban, & quae primi temporis Iacob, Septuaginta non intellectis Hebraicis vocibus, verterunt, *Ἐγένετο δὲ τὰ ἀσνηματῶν Δαβὴν, τὰ δὲ ἐπισηματῶν Ἰακώβ,* id est, **FACTA** sunt autem non insignia Laban, insignia verò Iacob: quod Hieronymus in libro Quaestionum Hebraicarum nihil dicit ad sensum pertinere. Item Genesis trigesimoprimo, pro eo, quod in Hebraeo est: **MVTAVIT** mercedem meam decem vicibus: Septuaginta inscitia propriae vocis decepit, verterunt *τὸν δέναν ἀρνῶν,* hoc est, decem agnis: unde Hieronymus eos in Quaestionibus Hebraicis redarguens: **NESCIO**, inquit, qua opinione Septuaginta ducti, verbum Hebraicum *δέναν* monim decem agnis posuerunt, cum numerum potius quam agnos significet. denique ex consequētibus magis numeri sensus probetur: sed & Aquila *δέναν ἀρνῶν* transtulit. Symmachus verò *δέναν ἀρνῶν* transtulit. vterque eorum cum Hieronymo de numero consentiens. Item Genesis 35. pro eo, quod legitur: **EGRESSVS** autem inde venit *חִיברתא*, hoc est, secundum Hieronymum verno tempore, vel (ut alij exponunt) quasi stadium: Septuaginta non tenentes vocis proprietatem verterunt, **IN hippodromo**, quod Hieronymus libro predicto admirans, **NESCIO**, inquit, quid volentes Septuaginta hippodromum transtulerunt, cum chibrata hippodromus esse non possit. Hec ex innumeris huius editionis erroribus pauca exempli gratia collecta sint.

6. **QVANTA**

admodum Genesis vigesimo sexto, pro eo, quod iuxta Hebraicam veritatem legitur: **VENERVNT** in ipsa die serui Isaac annunciantes de puteo, quem foderant, atque dicentes: inuenimus aquam: unde appellatum est nomen eius saturitas: Septuaginta penitus ex opposito verterunt, **ET venerunt** pueri Isaac, & nunciauerunt ei, de puteo, quem foderant, & dixerunt ei: non inuenimus aquam, unde appellatum est nomen eius iuramentum. quod falso translatum esse, Hieronymus ex ipsa nominis etymologia ostendit. **QVÆ** enim, inquit, etymologia est, propterea vocari iuramentum, quia aquam non inuenissent? & contrarium etiam in Hebraeo sit, & Aquila, & Symmachus traducētes cōsenserint, quod aquam inuenerint, & propterea appellatus sit puteus ipse saturitas, vel abundantia. Et in Psalmo decimo octavo pro eo, quod legitur in Hebraeo: **SOLI** posuit tabernaculum in eis: hoc est, quod Deus dederit Soli in caelo domiciliū, & thalamum, ex quo tanquam sponsus summo mane procederet, Septuaginta contrario sensu verterunt, non solē esse positū in tabernaculo, sed tabernaculum positū esse in sole, dicentes, *ἐν τῷ ἡλίῳ ἐθερ τὸ σκηνώμα αὐτῆς.* id est, **IN sole** posuit tabernaculum suum. quod occasionem peperit Manichæis, ut solem adorarent, eo quod ex his verbis existimassent, Christum postquam in caelum ascendit, sibi in sole domiciliū constituisse, atque exinde, in eo tanquam in proprio tabernaculo habitasse: sic enim de Manichæis scribit Augustinus libro vigesimo contra Faustum.

6. **QVANTA**

a Ose 11, 1. citatum.
a Mat. 2, 15.
b Isa. 11, . citatum a
c Zac. 12, 10. citatum a
Ioan. 19, 37.
d Prou. 18. citatum a
Ioan. 7, 38.
e Isa. 64, 4. cit. I. Cor. 2. 9.

Septuaginta interpretes aliquid de suo addidisse.

Gen. 3. 14.
Gen. 13, 13.

Psal. 11, 1.

Deu. 21, 23.

Deu. 27, 26.

Septuaginta multa in contrario sensu vertisse.

Gen. 26, 31.

Psal. 118, 6.

Gen. 30, 41.

Gen. 31, 7.

Gen. 35, 15.

6. QUANTO QVAM pro omnibus istis vnicum satis argumentum sufficere posset ad ostendendum summam huius translationis imperfectionem, quia nisi graues, & frequentes in ea fuissent lapsus, frustra tantum laboris ac vigiliarum insumpisset Hieronymus, ut nouam translationem ex Hebræo fonte ederet, eamque legendam Ecclesiæ præberet. Neque Ecclesia editionem Hieronymi adeo ab interpretatione Septuaginta diuersam recepisset, nisi & Hieronymus & Ecclesia sensissent translationem Septuaginta ab Hebraica veritate multum discedere, & in pluribus non leuiter errare. Hæc de prima Septuaginta interpretum versione.

De veteri testamenti veteris editione.

7. DE Latina verò veteris testamenti editione, quam Veterem vocant, negari non potest, quin fuerit omnibus vitijs contaminata: si enim tot deprauationibus Græca Septuaginta interpretum editio abudauit, vnde Vetus Latina editio tanquam impurus riuulus de impuro fonte manauit, necesse est etiam multo grauioribus mendis, & erroribus Latinam versionem fuisse deformatam: sicut etiam Hieronymus vbique ferè testatur, nunc eam tanquam superfluum, & redundantem resecans, nunc tanquam decurtatam, & amputatam supplens, nunc tanquam deprauatam corrigens, & emendans, ac in cunctis penè diuinorum librorum præfationibus diuersa semper eius vitia indicans. ceu in præfatione libri Iosue de exemplaribus veteris Latinæ editionis his verbis conqueritur: *APVD Latinos (ait) tot sunt exemplaria, quot codices, & unusquisque pro arbitrio suo addidit, vel subtraxit, quod ei visum est, & utique non potest verum esse quod dissonat, & in præfationibus libri Iob conqueritur in vulgata editione totum librum Iob esse lacerum, ac detruncatum, deesseque in eo ultra octingentos versus, ac verè apud Latinos librum illum errorum vermibus corrosus, iacere in stercore. contra vero in præfatione librorum Esther, & Danielis, damnat Veterem vulgatam editionem, quod laciniosis verborum finibus sacras historias tractet, addens ea, quæ ex tempore dici, & audiri possunt, sicuti in scholis fieri solet ab his, qui confictis argumentis, sese in historia scribenda exercent, excogitantes quid pro loco, tempore, ac personis dici potuit: sicut in lib. Esther factum est, in quo sex capitula præter Hebraicam veritatem apposita sunt: & in Danielis libro, in quo Susannæ iudiciū, ac Belis, & Draconis fabulæ extra Hebraicæ narrationis summam, additæ sunt.*

De editione veteris testamenti à D. Hier. facta.

8. DE editione veteris testamenti, quæ Hieronymi esse creditur, hoc vnum in primis certè constat, eam non esse Hieronymi, ipsomet Hieronymi teste, qui in præfatione libri Regum de sua editione loquens, dicit se nihil de Hebr. veritate mutasse. Quod sanè in vulgata editione veteris testamenti, qua nunc vtitur Ecclesia, seruatū esse non videmus: cum in ea tam multa sint, quæ ab Hebr. veritate dissentiant. Ad quod, & illud accedit, quod ex tam innumeris locis, quos Hieronymus commemorat aut se emendasse, aut aliter vertisse, aut aliter legendum censuisse, quam nunc legantur, nullus omnino in hac nostra editione locus inueniatur, qui vel Hierony-

mi castigationi, vel saltem iudicio respondeat. quod liquidò patebit, si aliqua nostræ editionis loca conferamus cum illis, de quibus Hieronymus in libro Hebraicarum Questionum sententiam suam indicauit & primum, Genesis quarto, vbi editio nostra habet: *RESPEXIT Deus ad Abel, & ad munera eius, ad Cain autem, & ad munera eius non aspexit: Hieronymus secundum Theodotionis interpretationem, legendum putauit: ET inflammavit Dominus super Abel, & super sacrificium eius super Cayn autem, & super sacrificium eius non inflammavit.* addens hanc interpretationem esse verissimam, quia Cayn aliunde scire non potuisset, quod Deus fratris sui munera suscepisset, & sua repudiasset, nisi fratris sui sacrificium iuxta Theodotionem inflammasset, ignem autem ad sacrificium deuorandum venire solitum de cælo, & in dedicatione templi sub Salomone legitur, & quando Helias in monte Carmelo construxit altare. Item de eo, quod nostra editio habet Genesis quarto: *EGREDIAMVR foras, vel in campum,* Hieronymus sic scribit: *Et dixit Cayn ad Abel fratrem suum: subauditur, ea, que locutus est Dominus, superfluum est ergo, quod in Samaritanorum, & in nostro volumine legitur: EGREDIAMVR foras. &c.* Item in Psalmo secundo, pro eo, quod nunc legimus: *APPREHENDITE disciplinam:* Hieronymus in apologia contra Ruffinum testatur, se vertisse, *ADORATE pure:* & in expositione Psalmi 126. ad Marcellam, pro eo, quod nunc in eo psalmo legimus: *FILII EXCVSSORVM:* dicit se traduxisse: *FILIOS IVENTVTIS,* sicut fecerat Theodotion: quia in Hebræo habetur *בני הצעורים* *chen bene hannehurim.* ex quibus locis, atque alijs eiusmodi pluribus, manifestum est, editionem hanc non esse Hieronymi. Quod & Paulus Forosempronienensis Episcopus (ne Munsterum interim & Lutherum adducamus & plerique alij Hebræarum literarum periti affirmant, existimantes hanc nostram editionem esse, vel Theodotionis, vel Aquilæ, vel Symmachi, quam interpres incerti nominis in Latinum verterit, & appositis Hieronymi præfationibus, illam pro Hieronymi editione vendidit. Quanquam nec ipsa Hieronymi editio (qualiscunque illa fuerit) adeò fuit omni ex parte perfecta, ut iustam reprehensionem vitare potuerit. nam ut Palladium Galatam prætermittamus, qui eam tam multis locis primus omnium reprehendit, Augustinus in prima epistola ad Hieronymum non solum Hieronymi editionem non approbat, sed Hieronymi studium in vertendo veteri testamento, ut superfluum damnat, eumque hortatur, ut à vertendis Hebraicis Scripturis tanquam à temerario incepto desistat. Ruffinus etiam in secundo libro aduersus Hieronymum, multo deteriore putat Hieronymi editionem quam Septuaginta, multisque eam criminibus accusat. Nicolaus item Lyranus Hieronymum in translatione sua ostendit reprehensibilem, cum aliis multis in locis, tum in Psalmo quadragesimo septimo, vbi in calce eius sic ait: *HIERONYMVS tamen minus bene videtur dicere, quia in omnibus biblijs Hebræis*

Gen. 4, 4, 5.

Gen. 4, 8.

Psal. 2, 12.

Psal. 126, 4.

Hieron. editio inculpatur.

Hebræis

Hebraicis, quas vidi חלמ' halmuth hic est una dictio sed quid pluribus? Hieronymus ipse in translatione sua se ipsum errasse fatetur, in cōmentarijs super Esaiam capite decimonono, vbi sic ait: MELIVS reor proprium errorem reprehendere, quam dum erubescō imperitiā confiteari, in errore persistere, in eo quod transtuli, Et erit terra Iuda Aegypto in festiuitatem. Et in Ieremia capite sexto, aliquorum vocabulorum se ignorare significatum non negavit.

Il. 19, 17.

9. SED cuiuscunque vulgata hęc editio sit, manifestum est, eam longē ab Hebraica veritate distare, & vbiq̄ue innumerabilibus mendis scaterere, variatis frequenter locorum, vrbium, hominum, animalium, ac plātarum nominibus, sicut Genesis secundo, pro eo, quod habetur חבדלח habbedolach, nostra editio habet bdelium, cum id non bdelium sed lapidē pretiosum Hebræis significet, teste Hier. à Lyrano. & pro eo quod ponitur in nostra editione:

Gen. 2, 12.

AD locum Sichem vsque ad conuallem illustrem: Hebræus habet אלון מורה elon moreh, hoc est, planitiem Moreth, quōd secundum Gerunden-

Gen. 12, 16.

fem viri nomen est. & Genesis vigesimoseptimo, pro eo, quod in Hebræo est במרמה bemirmah, quod secundum Lyranum significat, P R V D E N T E R, nostra editio habet, F R A V D V L E N T E R, & Genesis trigesimotertio pro

Gen. 27, 35.

במאהקשיתא bemeah kesitah, hoc est, CENTVM nummis, seu obolis, nostra habet, CENTVM agnis. Interdum quoque loca in tempora, & tempora in loca trāsmutat: veluti Genesis trigesimo-

Gen. 33, 19.

quinto vbi hęc verba ad literam scribuntur: וישעיהו וימסעו מבית אל ויהי ערה כבדת דארע לכונא אפרתה mibeth el, ve iehi hod chibrata ha arez labo ephratha. hoc est, Et profecti sunt de Bethel, fuitque adhuc quasi stadium terre ad locum ephratha. pro quibus editio nostra sic legit: EGRESSVS autem inde, venit verno tempore ad terram, que ducit Ephratha. Interdum ponit alia pro alijs gesta fuisse: vt cum Genesis trigesimosexto Scriptura dicit Anam inuenisse וימימי ha iemim, hoc est, nouam generationem mulorum in deserto, translatio nostra ponit aquas calidas, quæ in eo deserto nusquam inueniuntur. Aliquando ponit sensus omnino contrarios his, quæ in Hebræo habentur, & male in fide sonantes, vt Gen. sexto, pro eo, quod legitur לא ידון רוחי באדם לא יעלם lo iadon ruchi baadam leolam: hoc est: NON iudicabit spiritus meus in homine in aeternum: nostra editio habet: NON permanebit spiritus meus. quam interpretationem Hieronymus in libro Hebraicarum Quæstionum damnat tanquam crudelem, quæ Deum sanguinarium, ac truculentum faciat: cum potius sententia illa, vt in Hebræo habetur, Dei clementiam sonet: ait enim: NON iudicabit spiritus meus in homine in sempiternum, quia caro est, hoc est, quia fragilis est in homine conditio, non eos ad aeternos seruabo cruciatus, sed hic illis restituā, quæ merentur. ergo non seueritatem, vt in nostris codicibus legitur (inquit Hieronymus, sed clementiam Dei sonat. dum peccator hic pro suo scelere visitatur, ne in alio sæculo in aeternum dānetur. Ex his igitur, & his similibus locis in nostra editione contentis, colligimus, Ecclesiam ante nostra tempora nunquam habuisse inte-

Gen. 35, 16.

Gen. 36, 24.

Gen. 3, 6.

gram veteris testamenti editionem. 10. DE editionibus autem noui testamenti quid sentiendum sit, ac de ea præsertim, quæ Hieronymi tempore, & antè in Ecclesia legēbatur, Hieronymus in præfatione ad Damasum indicat, existimans eam omnino indignam, cui fides præstaretur: quia tot essent eius exemplaria, quot codices, & illa vel à vitiosis interpretibus male edita, vel à præsumptoribus imperitis emēdata peruersius, vel à librarijs dormitantibus aut addita, aut mutata, in quibus quàm plurima à Græca veritate, & à se ipsis etiam discreparēt. Noua vero editio, qua nunc vtimur, & quam non Erasmus solū, sed & multi alij eruditi viri, Hieronymi esse negāt proprium opus requireret, si singula eius errata comprehendere vellemus: Sed satis sint omnibus eius erroribus explicandis septem illi indices, quos diligentissimus Erasmus editioni suæ præposuit. in quorum primo inexcusabiles solœcismos per interpretem admissos digessit. in secūdo, omnia ferè loca obscura, in quibus magni nominis interpretes lapsi sunt, collocauit. in tertio, loca manifestè deprauiata disposuit. in quarto, loca in editione nostra redundantia. in quinto loca in editione nostra deficientia apposuit. in sexto, & septimo, loca ab interprete immutata, & perperam inuersa subiicit. Ex quibus quisque facile cognoscet, quot mendis, solœcismis, barbarismis, amphibologijs, hyperbatis, milleque alijs erroribus nostra noui testamēti editio referta sit. Restat ergo, Ecclesiam Christianorum nullam hucusque integram, fidelem, verā, ac sinceram Scripturæ sacræ translationem habuisse. quod quidem ab initio sumpsimus demonstrandum.

De editionibus noui testamenti.

Que reprehēduntur in noua editione noui testamenti.

DISSOLVTIO OBIECTORVM.

1. ETSI sciamus omnium ferè Hebræorum opinionem esse, quōd Septuaginta interpretes solū quinque libros Mosis Græcos ediderint, malumus tamen certam, ac indubitatam omnium Christianorum Patrum in hac re sententiam sequi, quàm cum Iudaizantibus hereticis incertas Iudæorum opiniones sectari. inter Patres autem D. Hieronymus præcipuè affirmat, Septuaginta non solum quinque libros Mosis, verum etiam omnes prophetarum libros transtulisse. Quod Eusebius lōgè antea testatus fuerat libro octauo Euangelicæ præparationis, in quo etiam causam reddidit, cur prophetarum libri à Septuaginta interpretibus verti debuerint, ita scribens: CVM iā Saluatoris nostri tempora viderentur propius aduenire, conduceretque maximè salutem omnium gentium, quæcunque à prophetis scripta fuerant intelligere, per linguā Græcam, quam ferè omnes gentes intelligerent Iudaicam scripturam vniuersis proposuit, aut enim ea post Saluatoris nostri tempora non habuissemus, Iudæis ex inuidia occultantibus, aut corruptiores nobis dedissent, aut si rectè haberi potuissent, in suspicionem traductores facile vocarentur. Saluator ergo noster, qui vt Deus omnia prouidebat, optimam dispositionem Ptolemæo Aegyptiorum regi immisit, vt per Septuaginta Hebræos interpretes libros prophetarum traduceret. Epiphanius verò in

Septuaginta non quinque tantum libros Mosis conuertisse.

Cap. 1.

in libello de ponderibus & mensuris, non modò legem & Prophetas, sed etiam ceteros veteris testamenti libros, quos etiam nominatim appellat ab eis traductos refert, & idem ante eum Origenes sensit, longèque ante ambos Philo Iudæus. quo cum omnis Græcorum ac Latinorum Patrum chorus consentit. Nec ab eorum cōsensu quicquam Hieronymus discrepat, quanquam (vt hæretici nobis opponunt) aliquando dissentire visus sit, sed potius ex aliorum, quàm ex sua ipsius mente dubitavit, an Septuaginta omne vetus testamentum transtulerint. Semper enim in omnibus commentarijs suis fassus est. Septuaginta interpretes totum vetus testamentum trāstulisse. Quin B & in commentarijs duodecim prophetarum, vt ipse de se contra Ruffinum testatur, semper vna cum sua editione, etiam Septuaginta interpretationem sub ipsorum nomine differuit, ac demum quid de hac re sentiret, in iisdem cōmentarijs aperuit his verbis: *QV AN QV AM eruditi solos quinque libros Mosis à Septuaginta trāstatos probent ut pote Iosephus, & Hebræi, nos tamen secuti auctoritatem veterum, Irenæi, Tertulliani, Origenis, totum vetus testamētum per Septuaginta trāstatum dicimus. Quòd si plerūque Hieronymus Septuaginta illas cellulas tāquam incerto auctore vulgatas contemnit, & Septuaginta interpretes non prophetas, ac vates, sed solūm C fuisse interpretes scripserit, nō ob id tamē inficiatur, eos Spiritu sancto illustrante trāstulisse: quinimo eos Spiritu sancto plenos, ac Spiritus sancti auctoritate commotos, verissimè transtulisse, plerisq; in locis, & maxime in præfatione libri Paralippomenon cōstanter affirmat. & quanquam eos asseueret nec interpretando prophetasse, nec spiritum habuisse propheticum, nusquam tamen negat eos Spiritu sancto imbutos ad Scripturæ trāstationem accessisse: negavit quidem eos spiritum habuisse, quo futura præuidendo diuinarent, ac scriberent, sed non negavit eos intus diuinum intelligentiæ spiritum, ac interpretationis diuinæ D Scripturæ afflatum habuisse, cuius interni luminis auspicio, quæ à prophetis scripta fuerant ex vna in aliam linguam conuerterēt. differunt autem inter se prophetiæ, & interpretationis spiritus: hic sermones interpretatur, ille verò ventura vaticinatur.*

2. *QV AN TVM* verò ad errores illos attinet, de quibus Septuaginta ab hæreticis accusantur, quòd multa prophetarum testimonia de Christo præsertim, ac sancta Trinitate silètio præterierint, Hieronymus eos multis in locis egregiè tutatur, demonstrans eos nec negligenter, nec malitiosè, sed prudenti, pioque cōsilio multa de Christi sacramentis, & sanctæ E Trinitatis mysterijs omisisse. Primo, quia cum ante aduentum Christi interpretarentur, multa vèteri Christi sacramēta. nondum plene factulis illis perspecta, scire nequiverunt. ita disponente Deo, vt omnia eius diuinitatis mysteria sub exortum euāgelicæ lucis Christi splendore pādenda seruarētur. itaq; quod illi ignorauerunt, aut non plene cognouerunt, vel dubijs, & ambiguis sententijs transtulerunt, vel omnino tacuerunt, volentes potius de inco-

gnitis bene tacere, quàm de his, quæ nō nouerant loquendo malè pronunciarè. Secundū, ne Prolemæum Alexandria regem scandalizarēt, multa de filio Dei, ac de eius aduentu occultarunt. ne fortè rex audiens Deum habere filiū, putasset Iudæos iuxtà Platonis dogma duplex habere diuinitatis numè, & duos habere Deos, quos magni idcirco faciebat, quia vnum Deū colere dicerentur. Tertio, multa quoque alia præter hæc sacramenta tacuerunt, ne omnia fidei suæ mysteria ethnicis proderent, indignum existimantes, iuxtà Christi sententiam, dare sanctum canibus, & margaritas ante porcos proijcere. His igitur iustissimis de causis tam multa à Septuaginta interpretibus omisa tradit Hieronymus.

3. *DE* his vero quæ ab eisdem addita sunt, Diuus Hieronymus in libro De optimo genere interpretandi ostendit in illis verba non esse consideranda, sed sensum, ad quem Septuaginta ipsi nihil de suo, addiderunt, licet verba quædam, quæ in Hebræo non erant, adiunxerint. Sed cum animaduerneret Hebræos quosdam sensus non posse in Græcam linguam seruato pari verborum numero ita significanter transire, ea de causa dictiones aliquas interdum addiderunt, vt quod pari verborum numero ad plenum exprimere non poterant adiectis alijs vocibus, significantius, & efficacius exprimerent. Quod & Apostoli, & euangelistæ aliquando fecerunt: sicut in Marco legimus, qui cum introduxisset Dominum ad defunctam puellam dicentem: *THABITHA CVMI*: statim subiecit. *QVOD interpretatur, Puella (tibi dico) surge*, in cuius sententiæ interpretatione duo verba, videlicet, *TIBI DICO*, quæ in Hebræo Christi dicto non sunt, de suo addidit &, vt præcipientis Christi iussum, *ἐμπατικώτερον*. hoc est significantius faceret, & sensum vocantis atque imperantis fortius exprimeret, sic & Septuaginta emphasis gratia multas plerumque voces de suo addiderunt, veluti cum inter illa verba psalmi vigesimi primi, *DEVS DEVS MEVS, VT QV ID ME DERELIQVISTI?* interposuerunt *πρόχουσοι*, hoc est, *RESPICE IN ME*: vt supplicantis, & expostulantis affectum potentius & viuidius explicarent. atque hæc vna causa est, cur Septuaginta de suo nonnulla addiderint. Altera vero est, æquiuocatio ac multiplex vocum significatio, quæ apud Hebræos magis quàm in cæteris aliarum gentium linguis accidere solet, vt vna eademque vox sæpe multa significet. Vnde Septuaginta volentes plerumque multiplex alicuius Hebraicæ dictionis significatum, ostendere, neque id vnico verbo fieri posse vidētes, pluribus appositis verbis, plures eiusdem vocis significationes interpretantur, quemadmodum Genesis tertio, memorato ab hæreticis loco fecerunt: vbi cum in Hebræo scriptum sit *אָן נָא הַיָּה לְהַגְהֵה כֹּנְחָה*, quod tam super vētrem, quàm super pectus significat, Septuaginta vtrūque vocabuli significatū exprimere cupientes verterunt. *ἐπὶ τῷ στήθεϊ σου, καὶ τῷ κοιλίᾳ πορεύσῃ σου*. hoc est, *SUPER pectus tuum, & ventrem gradieris*. Interdum quoque contingere po-

Hieronymus ab ea opinione non dissentit.

Septuaginta habuerunt Spiritum S.

Hier. in præf. Pentateuchi. Septuaginta cur multa de sanctissima Trinitate, & de Christo mysteria prætermiserint.

Matth. 7, 6.

Septuaginta cur multa addiderunt.

Mar. 5, 41.

Psal. 21, 2.

Gen. 3, 14.

re po

te potest, vt aliqua in codicibus Hebraicis, vel malitia, vel negligentia, vel imperitia scriptorum prætermiffa sint, quæ cum postea inuenta fuerint in editione Septuaginta interpretum, qui de integris adhuc codicibus transtulerunt, videantur à Septuaginta supra Hebraicam veritatem apposita. Sicut in duobus illis Deuteronomij locis ab hæreticis productis, euenisse putat Hieronymus, qui de his in commentarijs ad Galatas capite tertio sic loquitur: *INCERTVM habemus, utrum Septuaginta addiderunt, OMNIS HOMO, & IN OMNIBVS. an in veteri Hebraico ita fuerit, vt postea à Iudæis deletum sit, in hanc me autem suspicionem illa res stimulat, quod verbum OMNIS, & IN OMNIBVS quasi sensui suo necessarium ad probandum illud, quod, quicumque ex operibus legis sunt: sub maledicto sunt, apostolus Paulus vir Hebræa peritia, & in lege doctissimus nunquam protulisset, nisi in Hebræis voluminibus haberetur, Quam ob causam, Samaritanorū Hebræa volumina relegens inueni hanc cal, quod interpretatur omnis, siue omnibus scriptum esse, & cum Septuaginta interpretibus concordare. Frustra igitur illud tulerunt Iudæi, ne viderentur esse sub maledicto, si non possent omnia complere, quæ scripta sunt: cum antiquiores alterius quoque gentis literæ id positum fuisse testentur.* Hæc Hieronymus. Quod si Manichæi ex eo verbo scādalizati sunt, existimantes Mosem blasphemasse Christum, quia posuit eum sub vniuersali maledictione eorum, qui pendent in ligno, hæreticorum fuit hoc scādalum, non de Scripture occasione, sed de propria malitia sumptum. quasi non etiam Paulus apostolus, quem Manichæi veneratur, dixisset, Christum nō solum fuisse sub maledictione, sed etiam pro nobis factum esse à Deo peccatum, & maledictum. factum inquam maledictum sponte sua, non natum, vt peccatum, quod homo commiserat per lignum scientiæ boni & mali, ipse in ligno deleret appensus, vt Augustinus contra Faustum inquit. Et hæc de locis à Septuaginta superadditis.

Gal. 3, 10.

Gal. 3, 13. Christus quomodo factus sit pro nobis maledictum.

In Septuaginta nullata & cum veritate Hebræi indiscreparit.

4. DE locis autem, qui apud Septuaginta cum Hebraica veritate pugnare videntur, rectè Augustinus libro decimo octauo de ciuitate Dei capite quadragesimo quarto dixit. multa esse apud Septuaginta interpretes, quæ cum ab Hebraica veritate discrepare putetur, si bene intellecta fuerint, inuenientur ei non esse contraria, & Diuus Hieronymus in libro De optimo genere interpretandi DISCREPANT, inquit, Septuaginta interpretum, nostraque translatio, & tamen sermonum varietas spiritus vnitatem concordat. vnde credendum non est, Septuaginta aliquid vnquam in contrarium sensum vertisse. Quod si locum illum Genesis 26. alio sensu transtulerint quàm posteriores interpretes fecerint, in causa fuit, quod in codicibus sui temporis dictionem habuerint contrariam ei quam Aquila, & Symmachus in suis codicibus habuerunt, quo factum est, vt eorum interpretatio à Septuaginta interpretatione dissideret. quod enim Septuaginta in suis exemplaribus habuerunt אלו, terminante aleph, quæ, NON, negandi scilicet particulam significat, posteriores interpretes in suis codicibus, forte,

scribentium incuria, omisso aleph habuerunt אלו. quod pronomen ei, vel illi significat, vnde tam Septuaginta, quàm posteriores aptissimè, quod habuerunt in suis codicibus traduxerunt illi iuxta negantem particulam, VENERUNT SERVI, ET NUNTI AVERUNT EI, ET DIXERUNT; NON INVENIMVS AQVAM. isti verò iuxta demonstratiuam particulam; VENERUNT SERVI ET NUNTI AVERUNT EI, ET DIXERUNT EI. INVENIMVS AQVAM. Quis autem ex istis sit verus, ac germanus illius scripturæ sensus, nō est nobis admodum anxie disquirendum, cum neuter illorū dogmatibus fidei nostræ aduersetur, & vterque pariter historiæ aptari queat. mihi tamen cōuenientior videtur Septuaginta interpretatio, ne pronomen ei, semel atq; iterum, absque vlla necessitate superfluo repetatur, dum dicitur, venerunt serui, & nuntiauerunt ei. & dixerunt ei. cum satisfuerit semel dixisse, nuntiauerunt ei, & dixerunt. Nec obest quicquā, quod de putei etymologia opponit, videlicet iuramenti denominationem à non inuentis aquis deduci non posse: quoniam nec Septuaginta, nec ipse Moyses dixerunt, iuramenti cognomen fuisse deriuatum ab aquis non inuentis, sed à iuramento quod iuxta eundem puteum Isaac ferijt vnā cum Abimelech & amicis eius apud se conuiuantibus: sicut paulo supra ex ipsius historiæ verbis apparet.

Qua ratione factū sit, vt contraria aliquādo scribere videantur.

Similiter locus psalmi decimi octauī si rectè quò ad mysticam intelligentiam perpendatur cum Hebraica veritate nō pugnat: quod enim secundum mortuam literam apud Hebræos legitur: סוּלַיִם הָאֵלֹהִים בָּחַרְנוּ לָנוּ הַמִּשְׁכָּן הַזֶּה. hoc est, SOLI posuit tabernaculū in eis; Septuaginta iuxta viuificantem spiritum trāsferentes dixerūt: ἐν τῷ ἡλίῳ ἔθετο τὸ σκηνώμα αὐτοῦ, id est, IN Sole posuit tabernaculum suum. ita eis diuino spiritu dictante, vt verbis illis designaretur perenne sacramētum Christi, & Ecclesiæ, in qua velut in Sole, diuinus ille spon- sus Dei filiū (vt Augustinus in expositione eius Psalmi inquit) tabernaculum, & habitationem suam perpetuam collocavit, quem spiritualem, & mysticum sensum si impij Manichæi secuti fuissent, in tantā impietatem minime decidissent, vt vnicum illum cultum, qui soli Deo immortalī debetur, mortali & corruptibili astro exhiberent.

cur Christus in sole posuisse tabernaculū dicatur.

5. DE locis verò, quos ex ignorantia propriæ linguæ à Septuaginta male translato criminantur, respondemus, Septuaginta facile vindicari ab ista calumnia ex infinitis penè suæ editionis locis, qui cum sint longè obscuriores, ac difficiliore quàm hi, quos obtrectatores indicarūt, perspicuū fit, Septuaginta non minus Hebrææ quàm Græcæ linguæ peritos in vertēdis tā apertis vocibus, quales sunt מוֹנִים monim & חִבְרָתִי chibrath, errare non potuisse. igitur potius errore eiusmodi vitio librariorum quàm inscitia doctissimorum interpretum contigisse credendum est. ad quod asserendum, duæ nos causæ vehementer inducunt: vna, quòd Hieronymus, qui omnes defectus Septuaginta interpretū detexit, nusquā eos inscitie notauit, nec scio quomodo Ioānes Reu

Septuaginta Græca & Hebraica lingua fuerunt peritissimi.

Reuclinus, libro tertio Hebraicarum institutionum, ausus fuerit Hieronymo impingere, quod is aliquando Septuaginta interpretes imperitiæ dānarit, cum hoc in nullis Hieronymi scriptis inueniatur. Sed hoc tantum reperiatur, Septuaginta editionem vitio scriptorū corruptam, in sua puritate non permanisse. Altera verò causa est, quod multa ex his, quæ Hieronymus ex editione Septuagintā, quam ipse legerat tanquam vitiata adducit, nunc in editione Septuaginta, quam Ecclesia græca legit, emendata habentur. vt quod Hieronymus miratur vocem hippodromi fuisse positam à Septuaginta pro voce *חִיבְרַתְּ* *chibrath*, editio græca ipsorum Septuaginta nostri temporis non sic habet. sed iuxta Hebraicam veritatem sic: *ἐγένετο δὲ ἡ βίβα ἡ ἑβδομήκοντα ἐκ τῆς χιφραθᾶ.* id est, *F A C T V M* est postquam appropinquasset in *Chibratha*, Vnde liquidò apparet Græcum Hieronymi codicem in multis fuisse corruptum, & ipsum iuxta id, quod in codice suo habebat pronūciasse: nō Septuaginta reprehēdens. sed deprauationes illas coarguēs. quæ in Septuaginta editionē vitio corruptorum irreperūt.

6. ILLVD verò, quod aiunt. nouū hieronymi laborem euidētissime coarguere Septuaginta editionem, vetus calumnia est, olim quoque diuo hieronymo à suis æmulis inflicta, quam ipse per singulas sacrorum librorum præfationes sapissime confutauit, ostendens se non cōtra Septuaginta interpretum auctoritatem, sed multis alijs de causis laborem illum suscepisse: Vnde contra Ruffinum, qui illi hoc idem obiecerat, sic inquit: *EGO ne contra Septuaginta interpretes aliquid sum locutus: quos ante annos plurimos diligentissime emendatos mea lingua studiosis dedi: quos quotidie in conuentu fratrum edissero: quorum psalmos iugi meditatione decanto? stultus erā, vt quod in pueritia didici, senex obliuisci vellē? vniuersi tractatus mei horum testimonijs texti sunt. cōmentarij in duodecim prophetas. & meam. & Septuaginta editionem edisserunt. & c.* Causæ verò, quæ hieronymum ad hanc editionem impulerunt, hæ sunt.

Primò, vt ea, quæ in Septuaginta editione fuerant vitio scriptorum deprauata, ex sua interpretatione emendari possent. quam causam ipse in præfatione Paralipomenon his verbis indicat: *SI Septuaginta interpretum pura & vt ab in eis Græcum versā est editio permaneret, superfluo me Chromati episcoporum sanctissime, atque doctissime impelleres, vt Hebræa volumina Latino sermone transferrem. quod enim semel aures hominum occupauerat, & nascentis Ecclesie roborauerat fidem, iustum, erat nostro silentio comprobari. nūc verò cum pro varietate regionum diuersa ferantur exemplaria, & germana illa antiquaque translatio corrupta sit atque violata, nostri arbitrij putas, aut è pluribus indicare, quod verum sit, aut nouum opus in veteri opere cudere.*

A *festiora nostra interpretatione facerem.*

Tertio, ne Iudei ecclesiæ Christi diutius insultarent, impropertantes in hebræo non ita haberi, quemadmodum Ecclesiæ Christi & Septuaginta interpretes legunt, & ne amplius Iudæi haberent subterfugiendi diuerticula, si quando à Christianis in disputatione premerentur, ac suis armis sternerentur. nec vltra iam opus haberent Christiani, vt Iudæorum Rabbinos consulere, & eorum opem implorarent: si quando lis de Hebraica veritate nasceretur.

Quarto, vt exultantem Græciam, quemadmodum ipse in præfatione Esdræ inquit, compesceret, & Græcorum superbum factum cōprimeret, qui se Latinis in tantū preferebāt, vt dicerent, nihil diuinarum scripturarū habere Latinos, quod nō à Græcis mutuo accepissent.

Quinto, ad euitandum ingentes sumptus eorum, qui ex collatione multorum exemplarium veritatem inuenire volentes, intolerabili quidem expensa cogebantur emere exemplaria Septuaginta interpretum. Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, Origenis, Luciani, Esichij presbyteri, quintæ, sextæ, & septimæ editionis, atq; alia multa, quæ nō sine magno pecuniarū dispendio. & à solis diuitibus parari poterant.

Sexto, vt occasionem confusionis & erroris auferret his, qui diuersa exemplaria absque hebraicarū literarum peritiā tractabant: qui cum ex ignorātia Hebraici sermonis, quis nā inter tot interpretes verius dixisset, discernere nescirent. grauius errabant. quod & sapientissimo cuidā viro suis temporibus apud Græcos accidisse, hieron. in præfatione Esdræ testatur, qui cum hebraicè nesciret, sæpe Scripturæ sensum relinquens vniuscuiusque interpretis sequebatur errorem.

Septimo, vt dissidium tam Græcarum quam Latinarum ecclesiarum circa editionem Septuaginta interpretum tolleretur: quæ licet eandem Septuaginta interpretationem publicè tractarent, non tamen, vt Hieronymus in præfatione Paralipomenon scribit, eadem eiusdem editionis habebant exemplaria, sed planè diuersa & inter se pugnantia. Nam Alexandria, & Ægyptus vtebantur editione Septuaginta interpretum, emendata ab Esychio hierosolymitanæ ecclesiæ presbytero: Constantinopolis vero vsque ad Antiochiam, legebat eandem Septuaginta editionem, sed in alijs exemplaribus emendatis à Luciano martyre, Antiochenæ quondam ecclesiæ presbytero, & postea Nicomediæ episcopo. mediæ vero inter has prouinciæ Palæstinos codices legebant, quos ab Origene elaboratos Eusebius, & Pamphilus vulgauerunt. Ad tollendam ergo tantam exemplarium contentionem, hieronymus nouam translationem de hebræo aggressus est.

Octauo, vt Latinorum studia sicut ipse contra Ruffinū testis est, in linguis adiuuaret, accenderetque animos suorum ad amorem linguæ sanctæ, & ad versandum Hebraica exemplaria, ne deinceps infidelium Hebræorum ope egeremus. Hæ igitur causæ impulerunt Hieronymum ad nouam editionem, eandemque Latinam

D. Hieronymi translatione.

Cur D. Hier. nouam editionem molitur sit.

2. Secundò, vt multa, quæ à Septuaginta fuerant omissa, vel obscure ob iam dictas causas trāslata, ipse restitueret, suppleret, ac illustraret: Sicut ipse in præfatione Iob scribens: *A VDIANT*, inquit, *canes mei idcirco me in hoc volumine laborasse, non vt interpretationem antiquam reprehenderem, sed vt illa, quæ in ea obscura sunt, aut omissa, aut certè vitio scriptorum deprauata, mani-*

tinam ecclesiam mouerunt, vt post antiquam Septuaginta editionem, nouam D. Hieronymi interpretationem reciperent. Hæc hæcenus de Septuaginta interpretibus.

De editione veteri veteris testamenti latini.

7. Ex quibus, omnino euertitur argumentum eorum, qui antiquam veteris testamenti translationem apud Latinos idcirco vitiosam esse inferebant, quia de vitiosa Septuaginta interpretum editione tanquam de vitioso fonte fluxisset. quam cum iam ostenderimus omni vitio carere, fieri non potest, vt ex ea vitium aliquod in veterem Latinorum editionem fuerit deriuatum. Quod Hieronymus multa in ea errata deprehendit, atque correxit, non ob id consequens est, vt Ecclesia Latina ante Hieronymum nullam veteris testamenti veram, ac sinceram editionem habuerit. nam etsi nonnulla exemplaria olim fuerint corrupta, quæ postea Hieronymus correxit, non ideo sequitur, vt omnes quot habuit Ecclesia codices, fuerint in vniuersum, & ex toto corrupti. Et esto, etiam omnes in aliquibus fuerint corrupti, non tamen fieri potest, vt omnes simul iisdem in locis fuerint deprauati, ita vt id in nullo exemplari integrum, & inuiolatum permanerit, quod in multis exemplaribus esset vitiatum. Sequitur ergo, vt ex pluribus corruptis codicibus, facta ipsorum ad inuicem, vel ad Græcos codices collatione, facile ab eruditis eiusmodi exemplaria in vnum conferentibus, vera, & integra cuiuscunque loci translatio haberi potuerit, & reuera ab his habita semper fuerit. Colligimus itaq; aduersus hæreticorum sententiam, quod quamquam Ecclesia in singulis seorsum codicibus sinceram & integram veteris testamenti translationem non habuit, nunquam tamen in omnibus simul & vndique collectis exemplaribus exacta, absolutaq; veteris testamenti translatione caruit, sed semper in ipsa generali codicum vniuersitate, quod in vno atq; alio codice corruptum fuit, id ipsum in hoc, vel in altero codice integrum, & incorruptum permansit: ita Scripturarum codices protegente Deo. ne Ecclesia sua per aliquod tempus diuinæ lectionis veritate fraudaretur, sed eam saltim in toto simul omnium codicum ambitu haberet, quam in singulis seorsum codicibus habere non poterat.

Quomodo Ecclesia in piitatis codicibus, integrā habuerit translationem.

De his que in eadeerāt vel abundabant.

Neque hanc nostram sententiam infirmat, quod Hieronymus dixit, veterem vulgatam editionem in multis locis deficere, vt in libro Iob, in quo octingenti penè versus deerant, & in plerisque alijs locis superfluo redundare. veluti in libro Esther, & in libro Danielis: quia quantum attinet ad ea, quæ desunt, possibile est, vt in codicibus, quos Hieronymus viderat & quibus tum Ecclesie aliquæ particulares utebantur, octingenti illi versus, & alia etiam multa deessent, quæ tamen in cæteris aliarum Ecclesiarum exemplaribus permanerent. Nam & editio antiqua libri Iob, quam Gregorius in Moralibus differuit, & Græca Septuaginta interpretum editio, quæ nunc extat, nihil minus habere inueniuntur, quam Hebraica exemplaria, & Hieronymi traductio habeant. Quantum verò spectat ad ea, quæ in vulgata editione supersunt, ma-

nifestum est, nunquam ex his translationis veritatem fuisse corruptam, eo quod non tanquam germana, ac propria immissa fuerint in illam communem editionem, sed tanquam exoterica, & apocrypha, ad supplementum historiarum extrinsecus addita, & obelis verubusque iugulantibus, tam in Græcis, quam in Latinis codicibus transfixa. quæ postea, quod pie sancteque scripta, & addita viderentur, auctoritatem successu temporis meruerunt. & in sacro canone ab Ecclesia recepta fuerunt.

8. De editione noua veteris testamenti, quam Hieronymi esse negant, respondemus, quod sicut ea non videtur esse Hieronymi, ob causas ab aduersarijs inductas, ita ob easdem causas non omnino alia videtur ab interpretatione Hieronymi. nam sicut illi ex multis locis, qui in editione nostra aliter habentur, quam Hieronymus emendauit, arguunt, editionem hanc non esse eam, quam Hieronymus de hebraica veritate transtulit, ita & nos eodem argumento ostendere possumus, eam non esse profus ab illa D. Hieronymi interpretatione diuersam, quia in illa multa loca habentur, sicut Hieronymus se emendasse testatus est. veluti illud, quod in Septuaginta interpretibus legebatur: **VIRI Sodomorum erant mali, & peccatores in conspectu Dei:** voluit ipse

De editione vulgata quomodo sit Hieronymi, sed de tota hac questione consule Bellarminum li. 2. de verbo Dei cap. 9.

legendum esse, vt nunc legitur in editione nostra, absque duobus illis verbis. **in conspectu Dei,** & Genesis 36, pro eo, quod Septuaginta habebant: **EGRESSVS inde venit in hippodromum,** dicit, se in locum hippodromi posuisse verno tempore, vt in nostra editione legitur. & ne in recensendis similibus locis editionis nostræ à Hieronymo correctis tempus teram, inspiciat quicumque volet Commentaria Hieronymi in prophetas, in quibus ille duas editiones edidit Septuaginta videlicet, ac suam de Hebraica veritate translata: & videbit editionem Hieronymi à nostra vulgata editione nihil penè discrepare. proinde credibile est, hanc nostram vulgatam editionem ex duabus Hieronymi editionibus constare. videlicet ex ea, quam Hieronymus secundum Hebraicam veritatem edidit, & ex ea, quam ipse ex Græca editione Septuaginta interpretum transtulit. vtrumque enim se fecisse testatur D. Hieron. & in Apologia contra Ruffinum, & in omnibus penè veteris testamenti Præfationibus. Quod etiam indicat Psalterium editionis nostræ. ipsum enim illud idem non est, quod ipse ad Sophronium iuxta hebraicam veritatem transtulit, sed aliud, quod se ex Septuaginta editione vertisse, in epistola ad Suniam & Fretellam scribit. Verum vtcunque sit, hoc certè verissimum est, Hieronymi editionem nunquam, aut de linguarum imperitia, aut de falsitate, vt isti fingunt, fuisse damnatam, sed mirum in modum ab Augustino, Gregorio, Isidoro, atque alijs clarissimis viris laudatam. Quod si aliquando Palladius Galata, Hieronymianæ gloriæ inuidus, quem Epiphanius ad Ioannem episcopum Hierosolymitanum scribens, tanquam hæreticum fugiendum esse monuit, itemque Augustinus, & Ruffinus, & alij quidam, hanc Hieronymi translationem accusare visi sunt, scien

Editio vulgata ex duabus D. Hier. conflata.

Hieron. inter-
pretationē cur
aliqui repre-
henderint.

Sciendum est, eos non genus formamque in-
terpretandi, ac fidem, sed occasionem, oppor-
tunitatem, & consilium translatoris impro-
basse, eò quòd nephās esse ducerēt, à Septua-
ginta interpretum inueterata iam auctoritate
discedere: & existimarent, hanc nouam Hie-
ronymi editionem non sine maxima Ecclesia-
rum perturbatione, ac fidelium scandalo in-
uulgari posse. & in hunc sensum, se fuisse locu-
tum, declarat ipsemet Augustinus, cùm de hac
re ad Hieronymum scriberet, his verbis: *E G O
sanè, malle me Gracas potius canonicas nobis inter-
pretari Scripturas, quæ Septuaginta interpretum au-
toritate perhibentur, perdurum enim erit, si tua in-
terpretatio per multas Ecclesias frequentius cœperit
lectitari, quod à Græcis Ecclesijs Latina Ecclesiæ dis-
sonabunt, maxime quia facile contradictor conuinci-
tur Græcoprolato libro, id est, linguæ notissima. si quis
autem in eo, quòd ex Hebræo translaturum est, aliquo in-
solito permotus fuerit, & falsi crimen intenderit, aut
vix, aut nunquam ad Hebræa testimonia peruenitur,
quibus defendatur obiectum. quo si etiam peruentum
fuerit, tot Latinas, & Gracas auctoritates, damnari,
quis ferat?* Quibus verbis apparet, Augusti-
num non formam interpretationis, sed in-
tempestiuum traducendi officium in Hie-
ronymo non probasse. Quòd autem Hierony-
mus se aliquando lapsus fatetur, & etiam
quædam Hebræa vocabula non intellexisse,
nihil eius editionis auctoritati derogat, cùm
ipsemet ea, in quibus se errasse cognouerit,
diligenter etiam emendarit. vt loco ab hære-
ticis de Esaia inducto fecit: in quo cùm male,
FESTIUITATEM trāsulisset, postea locum
emendans, pro festiuitate Pauorem reposuit.
De his verò vocibus, quorum se significata
ignorare ingenuè fassus est, non illi hoc, tan-
quam imperito, vitio vertendum est, sed id
vocibus iam vetustate, & antiquitate nimia
obsoletis imputandum est. Quemadmodum
& clarissimo oratori Marco Tullio nemo vitio
dabit, quòd multas voces senio antiquatas,
quæ apud Varronem & Catonem legebantur,
se se ignorare confessus sit: veluti nassiternam
scutriscum, vrpex, lessum facere, & alias eiuf-
modi dictiones, quibus nihil dissimiles sunt
omnes illæ voces, quarum se Hieronymus si-
gnificatum nescire non negauit.

Editionē vul-
gatā in sensu
ab Hebræa ve-
ritate non dis-
crepare & ide
hoc pulchre o-
stendentē Bel-
larminū in li.
eod. cap. 12.
13.

9. Ad illud verò, in quo nostram vulgatam
editionem, cuiuscunque ea sit, ceu penitus ab
Hebræa veritate discrepantem accusant di-
cimus, quod quanquam in verbis aliquando
ab Hebræo discordet, vbique tamen in sensus
veritate, & sententiæ vnitatem concordat. Nec
mirum est, si in verbis quandoque ab Hebræo
dissentit, cū ea, vt dictum est, non purè, & sim-
pliciter sit ex Hebræo fōte deducta, sed permi-
stis & confusè sumpta ex duabus Hieronymi
editionibus, quarum ipse alteram de Hebræo
fonte, alterā de Græca veritate traduxit. Quā-
quā neq; in verbis ipsis editio nostra si diligē-
ter cōsiderata fuerit ab Hebræa veritate dis-
sentiat, nisi in dictionibus quibusdā, in quibus
necessariò cogūtur interpretes ab exemplaribus
euariare, & non nihil inter se ipsos dissen-
tire, cū scilicet eis occurrunt voces quædam
ambigæ, & incertæ. Redduntur autem di-

ctiones Hebræicæ interpretibus incertæ ob
multas causas. aliquando enim codices, qui-
bus interpretes vertendo vtuntur, vocalibus
pūctis destituūtur. qualis fuit codex, quo Hie-
ronymus vsus est. & sicut nunc est volumen le-
gis, quo passim Iudæi in synagogis vtuntur.
Cū ergo literæ suis notulis distincte nō sunt,
& occurrant aliquæ dictiones iisdem literis
scriptæ, tūc ipsæ multis modis legi, & traduci
possunt. veluti vox *σω* *Sem* sine apicibus scri-
pta, additis pūctis, legi potest *σω* *Scem*, & tūc
nomen significat, vel *σω* *Sciam* & tūc *ibi*, vel *illic*
denotat. vel *σω* *Sam* quod posuit significat. vel
σω *Scam* quod *desolatam* sonat. aliquando verò,
vt diximus, occurrunt nomina quædam perue-
tusta locorum, animalium, plantarum, ac la-
pidum, quorum significationes, etiam apud
